DE ΠΑΡΑ PRAEPOSITIONIS VI APUD EURIPIDEM IN COMPOSITIONE VERBORUM.

Laan, Petrus Adrianus van der.

DE ΠΑΡΑ PRAEPOSITIONIS VI APUD EURIPIDEM IN COMPOSITIONE VERBORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS, QUAM EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI J. ROTGANS, IN FAC. MED. PROF. ORD., NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET PETRUS ADRIANUS VAN DER LAAN P. F., E PAGO BENNEBROEK, DIE IX MENSIS JULII ANNI MCMVII HORA IV.

AMSTELODAMI IN OFFICINA C. N. „AMSTERDAMSCHE BOEK- EN STEENDRUKKERIJ." ∴ ∴ ∴ ∴ ANN. MCMVII.

THESES.

I.

Eur. Herc. Fur. 701 *εἰς καιρὸν οἴκων Ἀμφιτρύων ἔξω περᾷ*. Recte v. c. Vahlen retinendam censet lectionem codicum *περᾷ*.

II.

Errat Wecklinius ad Eur. Hipp. 19 *μείζω βροτείας προσπεσὼν ὁμιλίας* adnotans: ***Auffallend ist** προσπεσὼν **mit Acc., erklärlicher wäre** εἰσπεσών*.

III.

Schol. ad Eur. Hipp. 948 *σὺ δὲ εἶ ὁ ὑπὲρ πάντας σοφὸς ὢν καὶ ἀκούων ἀμίαντος τῶν κακῶν*. Legendum: *ἀκήριος καί*.

IV.

Schol. ad Soph. Oed. Col. 203 *χαλᾷς: ἀντὶ θαυμάζῃ*. Legendum: *ἀναχάζῃ*.

V.

Schol. ad Soph. Oed. Col. 947 *τὸν γὰρ πάγον εἰς τὸν ὄχθον μετατέθεικεν*. Legendum: *τὴν χθόνα*.

VI.

Schol. ad Soph. Aiac. 635 *οὐ λέγει δὲ ὅτι ὅταν αὐτὸν πύθηται τετελευτηκότα.* Legendum: *οὐ λέγει δὲ ἔτι νοσεῖν ὅταν κ.τ.λ.*

VII.

Horat. Sat. I. 6. 12 sqq.

Contra Laevinum, Valeri genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis
non unquam pretio pluris licuisse, notante
iudice quo nosti populo, qui stultus honores
saepe dat indignis et famae servit ineptus
qui stupet in titulis et imaginibus. quid oportet
nos facere a volgo longe longeque remotos?

Recte Dziatzko (Rhein. Mus. XXV. p. 315 sqq.) sic interpungit: vs. 14 non unquam pretio pluris licuisse. notante e. q. s. et vs. 17 qui stupet in titulis et imaginibus, quid oportet e. q. s.

VIII.

Perperam Kiessling ad Hor. Sat. I. 6. 14 adnotat: pretio *ist Ablativ des Masses oder des Betrages um welchen Laevinus Preis nicht gesteigert worden ist.*

IX.

Schol. ad Terent. Phorm. 6. Et callide errori reprehendentis sed etiam imperite scribere ostendit Luscium Lanuvinum.

Lege: et callide non modo errare reprehendentem e. q. s.

X.

Schol. ad Terent. Eunuch. 426 Vel quod illum sic fugiant omnes constituat, ut hunc libido effeminata.

Lege: vel quod illum sectari fugientem omnes constat.

XI.

Schol. ad Terent. Adelph. 423 Sed sic maluit dicere, ut illudentem de sua arte fecisset Syrum et hac re ostenderet nihil ab illo dici serio. Lege: faceret.

XII.

Pers. Sat. V. 3 fabula seu moesto ponatur hianda tragoedo. Reiicienda est explicatio v. c. Nemethy: *ponatur: apponitur, quasi cibus convivis, auftischen.*

XIII.

Catulli carmen XLIX ironice accipiendum esse censeo.

XIV.

Quomodo reges Romani creati sint, melius traditum extat apud Dionysium, quam apud Livium et Ciceronem.

XV.

Faciendum est cum viro cl. E. Meyer dicenti (Forsch. zur alten Gesch. II. p. 292): *Es ist ohne weiteres zuzugeben dass Thukydides sich* V. 39, 3. 46, 2 *nicht genau ausgedrückt hat.*

XVI.

In narrationibus interempti Hipparchi (Thuc. VI. 54—60 Arist. Πολιτεία 17, 18) maior fides tribuenda est Thucydidi quam Aristoteli.

XVII.

Herodot. V. 56 τλῆθι λέων ἄτλητα παθὼν τετληότι θυμῷ· Legendum: λεώς.

XVIII.

Perperam Aristoteles (Πολιτεία 15) dolum, quo cives Athenienses exarmati sint, Pisistrato attribuit quam rectius Thucydides (VI. 58) Hippiae adscripsit.

XIX.

Iniuria E. Sellers (The elder Pliny's chapters on the history of art, p. 99) ad Plinium Nat. Hist. XXXV. 54 (cum et Phidiam ipsum initio pictorem fuisse tradatur clipeumque Athenis ab eo pictum.) adnotat: *It cannot of course be that of the Athena Parthenos.*

XX.

Detortam opinionem de Marco Aurelio sibi informavit M. Maeterlinck, La sagesse et la destinée, p. 101: *Marc-Aurèle nous eût dit peut-être: „S'il ne m'est plus permis d'aimer ceux que j'aimais par-dessus tout, c'est sans doute pour m'apprendre à aimer ceux que je n'aimais pas encore.*

PARENTIBUS OPTIMIS

SPONSAE CANDIDAE

Studiis academicis finem impositaro restat mihi laetum officium Tibi, clarissime Kuiper, promotori meo, gratias agendi. Laetum illud officium semper, sed mihi laetissimum et singulare, quoniam non solum in Academia semper doctrina et benevolentia Tua usus sum, sed etiam me puerum atque Gymnasii Harlemensis, cuius memoriam Tecum colo, alumnum, Homerum amare docuisti. Quid autem in componendo hoc opusculo Tibi debeam, quivis huius rei peritus novit.

Et Vestrae, viri clarissimi Naber, Karsten, Valeton, Bellaar Spruyt †, Six, Van den Es, quorum lectionibus per tot annos interfui, doctrinae et humanitatis spero fore ut nunquam obliviscar.

Denique omnium qui in edendo hoc libello mihi auxilio fuerunt memoriam grato animo semper recordabor.

PRAEFATIO.

Difficultatem in componendo, praecipueque in parando hoc libello expertus sum contrariam ei qua laborare solent qui primum vires exercere volunt in dissertatione scribenda de argumento linguam Graecam spectante. Cum ceteri enim simulac inquirere coeperunt quid in argumento suo iam ante sit elaboratum fere obruantur librorum farragine et mox timeant ne quid novi his thesauris a se adici nequeat, ego de vi praepositionum in compositione verborum apud Euripidem scripturus terram fere inexploratam inveni.

Licet enim de vario praepositionum cum nominis casu coniunctarum usu apud omnes antiquissimos scriptores sat multi compositi sint libelli quorum magnum numerum denuntiat Montijn (*de praepositionum usu apud Aristophanem*, Traject. ad Rhenum 1887 p. VIII—IX) de praepositionibus in compositione verborum admodum raro aliquid conscriptum repperi. Quo factum est ut ipsi rationem atque viam nostram in hac re constituerimus.

Primum omnes locos ubi verba composita apud Euripidem occurrunt, exscripsimus fragmentis neglectis quia cum undeviginti fabulae satis magnam copiam exemplorum nobis praebuit, tum e fragmentis saepe dubiis nimium efficere noluimus.

Ex toto autem numero praepositionum nulla vario usu particulam *παρά* superabat; quam ob rem hanc praepositionem potissimum delegimus. In nostra investigatione hunc ordinem

secuti sumus, ut primo capite ea composita tractaverimus, ubi localis vis praepositionis qua indicat actionem verbo expressam iuxta aliquem aliquidve fieri, maxime perlucet; secundo ea verba enumeravimus in quibus *παρά* denotat motum verbi praeter aliquem aliquidve fieri; tertio capite autem praepositionis notionem illustravimus qua indicari videmus motum ab aliquo aliquave re; qui usus quomodo in malam partem abire potuerit quarto capite descripsimus. Multis in compositionibus apud Euripidem *παρά* directionem motus ad aliquem denotat quod sequenti capite demonstravimus. Sextum caput transgressionem ex alio ad alium locum illustrat quam *παρά* nonnumquam designat. Translatum usum qui ex priore notione oritur septimo tractavimus. Tandem extremo loco illa notabilis vis nostrae praepositionis spectatur qua actionem verbo expressam perperam fieri indicat particula *παρά*.

Quamquam ut iam supra diximus, pauca scripta de praepositionum usu in compositione verborum invenimus, tamen aliquid auxilii nobis attulit optima disputatio de praepositione *παρά* quam composuit F. H. Rau (G. Curtius, *Studien zur Griechischen und Lateinischen Grammatik* III. p. 1—114). Paginae extremae decem huius opusculi de praepositione *παρά* in vocabulis compositis agunt. Quod ad Euripidem attinet imperfecta sane haec disputatio est, ut suo loco indicabimus.

Ceterum adnotationes aliquas de eadem re invenimus in libro Francisci Vigeri (*de praecipuis Graecae dictionis idiotismis* Lipsiae 1834 editio quarta). Quoties ex Thucydide exempla nobis requirenda erant, ad manus erant tabellae, quae D. H. Holmes confecit. (*Die mit Praepositionen zusammengesetzten Verben bei Thucydides*, Berlin, Weidmann 1895).

Perscrutavimus etiam Kuhnerianae Grammaticae editionem novam quam curaverunt Blassius et Gerthius, ex quo libro

ad ipsum saltem argumentum dissertationis quod attinet non magnam percepimus utilitatem, nisi quod II. 1. p. 452 in universum de constructione verborum compositorum scriptum est: *In betreff der Konstruction der mit Präpositionen zusammengesetzten Verben ist zu bemerken dass die Präposition auf die Konstruction des Verbs entweder einen Einfluss ausübt oder nicht ausübt. Dass erstere ist der Fall wenn die Präposition in der Komposition die ihr eigentümliche Bedeutung und Structur beibehält, so dass mann an der Stelle des Kompositums auch das Simplex mit der Präposition gebrauchen kann, ohne eigentliche Veränderung des Sinnes, als:* ἐξέρχομαι τῆς πόλεως — ἔρχομαι ἐκ τῆς πόλεως — ἐξέρχομαι ἐκ τῆς πόλεως. *Das letztere ist der Fall wenn die Präposition in dem Kompositum ihre Bedeutung zwar beibehält, die Konstruction aber sich ändert, wie in* ἀντιμάχεσθαί τινι; *hier hängt der Kasus nur von dem Begriffe des Verbs ab, sowie auch wenn die Präposition mit dem Verb zu einem unzertrennlichen Ganzen verschmolzen ist wie in* ἀποπεραίνειν τί.

Supervacaneum fere videtur dicere nos plurimas editiones Euripidis fabularum adhibuisse, quas suo loco quemque laudabimus; in citandis versibus semper secuti sumus editionem quam Prinzius Weckliniusque curaverunt (1899—1902 Lipsiae, Teubner). Ubicunque ab eorum lectionibus discrepuimus, huius rei rationem reddidimus.

Optimum librum T. Mommsenii (*Beiträge zu der Lehre von den Griechischen Präpositionen*, Francofortii 1876), ut par est, inspeximus; de compositis tamen fere nihil inest. Postremo commemoranda sunt lexica quae adiimus, Stephanus, Passow, Ellendt e. a.

CORRIGENDA:

Pag. 2 linea 31: ὠνοῖτ'. Leg. ὠνοῖντ'.
„ 62 „ 5: pulchitudinis. Leg. pulchritudinis.
„ 62 „ 22: faturum. Leg. futurum.
„ 69 „ 7: convenireat. Leg. conveniret.

CAPUT I.

Praepositio παρά in compositione verborum indicat actionem verbo expressam iuxta aliquam personam aut rem fieri.

§ 1. Verba quietem designantia.

παρεῖναι.

a. Usus absolutus.

Verbum *παρεῖναι* apud Euripidem absolute usurpatur sine casu, ut indicet aliquem aut aliquid „*adesse, ad manus esse, praesto esse.*" Interest aliquid inter *εἶναι* et *παρεῖναι*. Simplex „*existere*" tantum designat, compositum simul de loco, ubi aliquis vel aliquid moratur, cogitari monet. Alcest. 423 sq. *πάρεστε καὶ μένοντες ἀντηχήσατε || παιᾶνα τῷ κάτωθεν ἀσπόνδῳ θεῷ* — ***adeste et manentes per vices canite lugubre carmen inexorabili deo.*** Iphig. Taur. 727 sq. *δέλτου μὲν αἵδε πολύθυροι διαπτυχαί || ξένοι, πάρεισιν* — ***litterarum haec multiplicia volumina, o hospites, adsunt.*** Hippolyt. 784 *τί δ'; οὐ πάρεισι πρόσπολοι νεανίαι;* — ***cur? non adsunt famuli iuvenes?*** Hercul. Fur. 319 sq. *ἰδοὺ πάρεστιν ἥδε φασγάνῳ δέρη || κεντεῖν, φονεύειν, ἱέναι πέτρας ἄπο* — ***en, adest haec cervix ensi ut pungatur, caedatur, ut de saxo deturbetur.*** Infinitivus epexegeticus hoc uno loco apud nostrum cum verbo *παρεῖναι* coniungitur. Wilamowitzius in editione sua lacunam statuit post versum 319. *κεντεῖν δέρην* dici posse

negat, *„einfach weil man einen hals mit dem schwerte abhaut, nicht durchsticht. Es fehlt also ein vers etwa der art: πάρεστι μήτηρ σὺν τέκνοισιν ἀθλία."* Melius autem mihi sanare locum videtur Leeuwenius (ad Aristoph. Nubes 422) qui putat versum 320 legendum esse post versum 325: τἄλλα δ' ἢ προθυμος εἶ || κεντεῖν, φονεύειν, ἱέναι πέτρας ἄπο || πρᾶσσ'· οὐ γὰρ ἀλκὴν ἔχομεν ὥστε μὴ οὐ θανεῖν.

Saepissime participium hoc sensu adhibetur a nostro: Phoeniss. 909 βούλει παρόντος δῆτά σοι τούτου φράσω; — *vis praesente igitur hoc tibi dicam?* Deinde παρών, ut Latine *praesens*, pro adiectivo habetur, temporali sensu: Phoeniss. 1196 sq. πύργων μὲν οὖν γῆς ἔσχομεν κατασκαφὰς || ἐς τὴν παροῦσαν ἡμέραν — *turrium eversionem igitur terrae prohibuimus in hodiernum diem.*

πάρα pro πάρεστι nonnunquam usurpatur absolute, sine casu: Helena 420 sq. οὔτε γὰρ σῖτος πάρα || οὔτ' ἀμφὶ χρῶτ' ἐσθῆτες — *neque enim cibus adest, neque vestes circa corpus.* In eadem tragoedia vs. 626 sq. ὁ μὲν χρόνος || παλαιός, ἡ δὲ τέρψις ἀρτίως πάρα — *tempus quidem longum erat, voluptas vero nunc adest.* Hoc usu Euripides ab aliis non differt.

b. Cum dativo παρεῖναι coniungitur, ut indicetur aliquem aut aliquid in vicinitate alicuius personae vel rei esse.

1. Localis usus. — Medea 1053 sqq. ὅτῳ δὲ μὴ || θέμις παρεῖναι τοῖς ἐμοῖσι θύμασιν, || αὐτῷ μελήσει — *cui non fas est adesse meis sacrificiis, ipsi curae erit.* Eodem modo: Orestes 132 sq. αἵδ' αὖ πάρεισι τοῖς ἐμοῖς θρηνήμασι || φίλαι ξυνῳδοί — *rursus adsunt meis lamentis carae sociae.* Nascitur ex hoc usu significatio habendi. πάρεστί μοί τι — *habeo aliquid.* Andromache 939 sq. τί γάρ με χρῆν || πόσιν φυλάσσειν ἢ παρῆν ὅσων ἔδει; — *quid enim oportebat me de marito esse sollicitam, cui aderant quibus opus erat?* Alcestis 59 ὤνοῖτ' ἂν οἷς

πάρεστι, γηραιοὺς θανεῖν — *redimerent quibus opes suppetunt, ut senes morerentur.*

Saepissime translate de animo dicitur: Orestes 1180 ἐπεὶ τὸ συνετόν γ' οἶδα σῇ ψυχῇ παρόν — *prudentiam enim tuae menti inesse scio.* Bacchae 1268 τὸ δὲ πτοηθὲν τόδ' ἔτι σῇ ψυχῇ πάρα; — *perturbatione ista adhuc tuo animo adest?* Paullo supra vs. 708 sqq. ὅσαις δὲ λευκοῦ πώματος πόθος παρῆν ‖ ἄκροισι δακτύλοισι διαμῶσαι χθόνα ‖ γάλακτος ἑσμοὺς εἶχον — *quibus candidi potus desiderium aderat, summis digitis dividentes terram, habebant copiam lactis.* Uno loco infinitivus subiecti vice fungitur: Medea 659 sq. ἀχάριστος ὄλοιθ', ὅτῳ πάρεστι ‖ μὴ φίλους τιμᾶν καθαρὰν ἀν- ‖ οίξαντα κλῇδα φρενῶν — *miser pereat cuicumque inest amicos non colere, puram aperienti clavem pectori.*

Compositum παρεῖναι sic usurpatum a simplici εἶναι hac in re differre puto, quod maiore emphasi designat relationem quae extat inter verbum et accedentem dativum. Apud alios scriptores eodem modo adhibetur.

Cum praepositione repetita apud Euripidem non invenitur, apud Sophoclem Philoct. 1057 sq. ἐπεὶ πάρεστι μὲν ‖ Τεῦκρος παρ' ἡμῖν.

2. T r a n s l a t u s u s u s. — Lenis est transitus ad significationem „*praesto sum.*" Iphig. Aul: 1552 ὦ πάτερ, πάρειμί σοι — *o pater, tibi adsum.* Non est dativus ethicus σοι („*ecce, adsum*"), sed pendet a praepositione. Non solum se adesse dicit Iphigenia, sed etiam praesto se esse patri ad mortem subeundam. In locutionibus autem cum dativo ethico maiorem vim habet verbum, dativus fere nullam. Eadem notio verbo παρεῖναι inest Androm. 49 sq. ὁ γὰρ φυτεύσας αὐτὸν οὔτ' ἐμοὶ πάρα ‖ προσωφελῆσαι παιδί τ' οὐδέν ἐστιν — *nam genitor eius nec mihi adest ad opitulandum et puero nihil est.*

c. Venimus ad sensum o p i t u l a n d i: Orestes 583 sq. ἢ μητρὶ μὲν πάρεισι σύμμαχοι θεαί ‖ τῷ δ' οὐ πάρεισι, μᾶλλον ἠδικημένῳ;

an matri quidem adsunt auxiliatrices deae, isti autem non adsunt maiore iniuria affecto? Iph. Aul. 1352 στρατὸς δὲ Μυρμιδὼν οὔ σοι παρῆν; — *exercitus vero Myrmidonum non aderat tibi?*

d. Impersonaliter παρεῖναι usurpatur praeditum notione licendi.

πάρεστί μοι — *occasio mihi adest, praesto est.*

Hippol. 1019 sq. πράσσειν γὰρ εὖ πάρεστι, κίνδυνός τ' ἀπὼν || κρείσσω δίδωσι τῆς τυραννίδος χάριν — *rem enim bene gerere sic licet, absensque periculum maiorem largitur voluptatem tyrannide.* Persaepe πάρα pro πάρεστι ita invenitur: Alc. 1114 δῶμα δ' εἰσελθεῖν πάρα — *domum intrare licet.* Frequenter occurrit accusativus absolutus παρόν, Iphig. Taur. 1088 sq. καὶ γὰρ ἐνθάδ' οὐ πρέπει || ναίειν, παρόν σοι πόλιν ἔχειν εὐδαίμονα — *non enim decet te hic habitare, cum liceat tibi urbem incolere beatum.*

e. παρεῖναι non solum „*in loco esse*" sed etiam „advenisse" significare potest.

1. Absolute hac notione usurpatur Phoeniss: 446 sq. μῆτερ, πάρειμι· τὴν χάριν δὲ σοὶ διδοὺς || ἦλθον — *mater, adveni; hanc gratiam tibi dans profectus sum.*

2. Eodem sensu praeditum saepe cum praepositionibus (ἐν, ἐκ, ἐπὶ, ἀπὸ, ἐξ) coniungitur: Iphig. Taur. 1305 sq. καὶ δεσπότῃ σημήναθ' οὕνεκ' ἐν πύλαις || πάρειμι, καινῶν φόρτον ἀγγέλλων κακῶν — *et regi nuntiate me adesse ad fores, novorum onus malorum afferens.* Cum praepositione εἰς coniungitur Bacch. 453 sq. ἀτὰρ τὸ μὲν σῶμ' οὐκ ἄμορφος εἶ, ξένε || ὡς ἐς γυναῖκας ἐφ' ὅπερ ἐς Θήβας πάρει — *at, o hospes, corpore quidem non es deformis, ad mulieres scilicet (alliciendas) quam ob causam Thebas venisti.* Alter locus ubi παρεῖναι cum

praepositione εἰς coniungitur est in Oreste, vs. 1313 sq. ὦ φίλταται γυναῖκες, ἐς μέσον φόνον || ἥδ' Ἑρμιόνη πάρεστι· παύσωμεν βοήν — *o carissimae mulieres, in mediam caedem Hermione hic accidit: cessemus a clamore.* Verba ἐς μέσον φόνον suspecta videntur Wecklinio adnotanti: „*fort.* βόλον *cfr. Bacchae* 848 *Rhesus* 730." Supervacanea autem est mentio τοῦ βόλου, quia statim post (vs. 1315) legitur: στείχει γὰρ ἐσπεσοῦσα δικτύων βρόχους — *venit enim incidens in retium laqueos.* Hanc ob causam coniectura Wecklinii mihi non placet. Lectio codicum retinenda mihi videtur; nam Electra putat caedem fieri, quamquam non fit (vide praecedentes versus). Ideo Electra mulieres Argivas tacere iubet, quod, ut ipsa quidem putat, Hermionen in mediam caedem incidat.

Cum praepositione ἐπὶ verbum παρεῖναι invenimus Electra 641: πάρεσται δ'ἐν τάχει θοίνην ἔπι — *mox aderit ad coenam.* Cum praepositione ἀπό: Supplic. 410 sq: πόλις γὰρ ἧς ἐγὼ πάρειμ' ἄπο || ἑνὸς πρὸς ἀνδρὸς, οὐκ ὄχλῳ κρατύνεται — *urbs a qua adveni ab uno viro, non a multitudine regitur.* Cum praepositione ἐξ: Bacchae 657 sq. κείνου δ'ἀκούσας πρῶτα τοὺς λόγους μάθε || ὃς ἐξ ὄρους πάρεστιν ἀγγελῶν τί σοι — *sed istius sermones audiens primum disce quid nuntiaturus sit tibi qui ex monte adest.* — Hic usus apud alios quoque, imprimis apud Xenophontem, invenitur.

3. Euripides locum quo quis advenerit non solum ope praepositionum indicat, sed etiam cum solo accusativo verbum παρεῖναι coniungit, ut alia verba eundi et movendi. Bacchae 1. ἥκω Διὸς παῖς τήνδε Θηβαίαν χθόνα — *veni in hanc Thebanam terram filius Iovis.* Medea 6 sq. οὐ γὰρ ἂν δέσποιν' ἐμὴ || Μήδεια γῆς ἔπλευσ' Ἰωλκίας — *non enim domina mea Medea ad turres agri navigasset Iolci.* Eodem modo παρεῖναι adhibet noster Bacchae 5: πάρειμι Δίρκης νάματ' Ἰσμηνοῦ θ'ὕδωρ — *adsum ad fontes Dirces et Ismeni aquam.* Electra 1278 sqq. μητέρα

δὲ τὴν σὴν ἄρτι Ναυπλίαν παρὼν || Μενέλαος, ἐξ οὗ Τρωικὴν εἷλεν χθόνα || Ἑλένη τε θάψει — *matrem vero tuam modo ad Naupliam advectus Menelaus, ex quo Troianum expugnavit agrum et Helena sepelient.* Hippol. 804 sq. ἄρτι γὰρ κἀγὼ δόμους || Θησεῦ, πάρειμι σῶν κακῶν πενθήτρια — *modo enim et ego ad aedes, Theseus, adveni, tuorum malorum deploratrix.* Codex Marcianus (A), Parisinus (a), Vaticanus (B) δόμοις habent. Optimi codices sunt A et a XII[i] saeculi, sed codex Parisinus alter (E) qui praebet lectionem δόμους ab eadem parte stat. (cf. Prinzius in praefatione ad Medeam p. VII: *artiore vinculo iuncti sunt* B E, *medium quendam locum tenet* a.) Codex Havniensis (C) quem ex eodem fonte ac B derivatum esse dicit Prinzius, δόμους habet. Codices alterius classis, Florentinus (L) et Palatinus (P) δόμους habent. Haec classis plura vitia cepit quam prior, sed „*non multo deterior ac nequaquam hercle contemnenda est,*" auctore Prinzio (ibidem p. VII). Consensus codicum ambarum classium (E C et L P) monet ut servemus lectionem δόμους. Vocabulum ἄρτι cogitare nos cogit de adventu, ut in Electra (1278) ἄρτι Ναυπλίαν παρών. πάρειμι ergo non solum nostro loco Hippolyti „*adsum*" sed etiam „*adveni*" significat, quare rectius cum accusativo coniungitur. Peculiaris lectio δόμους facile a correctore mutata esse potest in δόμοις.

Cyclops 94 sq. ἀλλ' ἥσυχοι γίγνεσθ', ἵν' ἐκπυθώμεθα || πόθεν πάρεισι Σικελὸν Αἰτναῖον πάγον — *sed taciti sitis, ut audiamus unde accedant ad Siculam Aetneam rupem.* In eadem fabula vs. 106: πόθεν Σικελίαν τήνδε ναυστολῶν πάρει; *unde ad Siciliam hanc navigans advenisti?* Malim tamen coniungere Σικελίαν τήνδε ναυστολῶν. Etenim hoc fere rogasse Cyclopem putaverim: „*Undenam in Siciliam nave profectus nunc hic ades?*" Verbum παρεῖναι finem motus tantum indicat, ναυστολεῖν motum ipsum.

Aliis locis tamen, quos supra memoravi, παρεῖναι cum solo accusativo coniungitur neque hic usus apud Sophoclem occurrit. (cf. Ellendt, Lexicon Sophocl. in voce). Cum adverbio δεῦρο invenitur Oed. Colon. 1253 πάρεστι δεῦρο Πολυνείκης ὅδε. Apud Thucyd. III. 8. Ὀλυμπίαζε παρεῖναι. Stephanus de accusativo nihil adnotat: „*πάρειμι motus significationem habens, ut adsum, interdum cum εἰς, πρός, ἐπί vel certe adverbio ad locum.*"

Solum accusativum adiicere Euripidi peculiare fuisse videtur, cui in ceteris appropinquandi verbis (μολεῖν, πελάζειν, ἰέναι cett.) haec ἀρχαιολογία cum aliis poetis antiquioribus communis est. Neque certis temporum finibus hic usus circumscribitur. Occurrit enim in antiquissima fabula Hippolyto, in recentiore Electra, in recentissima Bacchis.

4. Cum participio saepissime eodem sensu coniungitur: Phoeniss. 604 οὓς σὺ πορθήσων πάρει — *quas eversurus tu ades*. Bacch. 434 πάρεσμεν τήνδ' ἄγραν ἠγρευκότες — *adsumus hanc praedam captam habentes*. Rhesus 392 sq. συγκατασκάψων δ'ἐγὼ || τείχη πάρειμι. Cyclops 106 (vid. supra p. 6.) πάρειμι hoc modo usurpatum propriam vim suam paulisper amisisse videtur. Circumlocutionem actionis participio expressae efficit, ut indicetur personam quae agit, etiam adesse. Sic apud Sophoclem nec non apud nostrum ἔχειν cum participio adhibetur, ut propriam naturam aliquantisper exuat, Medea 33 ἀτιμάσας ἔχει. Actionem permanere per hoc σχῆμα ostenditur.

παρίστασθαι.

Ad verbum παρεῖναι proxime accedit παρίστασθαι cuius verbi apud Euripidem formam activam non inveni.

a. Localis usus.

1. Absolute sine casu παρίστασθαι occurrit Rhesus 793 sqq. καὶ μ' ἔγχος αὐγάζοντα καὶ θηρώμενον || παίει παραστὰς νεῖραν ἐς πλευρὰν ξίφει || ἀνὴρ ἀκμάζων — *et gladium circum-*

spicientem me et captantem ferit adstans ense imum latus vir robustus.

2. Cum dativo. — Pristina significatio praepositionis adest Iph. Taur. 1313 sqq. *ἡ νεᾶνις ἣ 'νθάδε || βωμοῖς παρίστατ', Ἰφιγένει', ἔξω χθονὸς || σὺν τοῖς ξένοισιν οἴχεται* — *puella quae his aris adstabat, Iphigenia, extra hanc terram cum peregrinis abiit.* Wecklinius adscribit „*fortasse ἐφίστατ'*," quod in priore editione receperat in textum. Verbum *παρίστασθαι* praeditum notione mere locali cum dativo personae saepe iungitur ab Euripide, ut infra videbimus, cum dativo rei hoc loco tantum. Apud Sophoclem huius dativi optimum exemplum habemus: (Antigone 1215 sq.) *ἴτ' ἆσσον ὠκεῖς καὶ παριστάντες τάφῳ || ἀθρήσατε.* Causa igitur non est cur dubitemus quin *παρίστατο βώμοις* significari possit „*adstabat aris.*" Wecklinius autem notionem „*praeesse*" inferre vult, id quod apparet ex adnotatione editionis prioris: „*ἐφίστατο wie βώμιοι ἐπιστάται* 1284." Optime quadrat haec notio; tamen facile carere ea possumus. Accedit quod fere semper invenimus perfectum hoc sensu. cf. Wecklinius ad Iph. Taur. 725. Nostro loco poeta nihil aliud dixit nisi „*puella quae modo hic aderat.*"

Eadem notio mere localis adest Rhesus 781 sq. *ἵππους γὰρ ἅς ἔθρεψα κἀδιφρηλάτουν || Ῥήσῳ παρεστώς, εἶδον* — *equos enim quos alui et currui iunctos regebam Rheso adstans vidi.*

Medea 886 sqq. legitur: *ἣ χρῆν μετεῖναι τῶνδε τῶν βουλευμάτων || καὶ ξυμπεραίνειν καὶ παρεστάναι λέχει || νύμφην τε κηδεύουσαν ἥδεσθαι σέθεν* — *quam oportebat sociam esse horum consiliorum et adiuvare ea et adstare lecto et sponsae tuae officia praestare laetam.* Versum 887 Nauckius delet. Hartungius coniecit *παριστάναι λέχη* — „*struere lectum,*" quam coniecturam Wecklinius in textum recepit. Sed neque apud Euripidem activa forma usquam invenitur, neque alii scriptores activa forma praedita notione struendi non sunt usi. „*Sistere aliquem iuxta*

aliquem vel aliquid" significat παριστάναι apud Demosth. 49. 35. παριστάναι τινα τῶν οἰκετῶν φυλάττειν τὰ ξύλα. Eodem sensu in Actis Apost. adhibetur (23. 33) παρέστησαν καὶ τὸν Παῦλον αὐτῷ — *stiterunt etiam Paullum coram eo.* Notione mere locali semper dicitur παριστάναι de personis vel animalibus, veluti Lucian. Dial. mar. 6. 2. δελφῖνά μοι τινὰ τῶν ὠκέων παράστησον. Indicat: „*facere, ut veniat, adsit aliquis.*" Translate saepius activum usurpatur, quamquam apud nostrum exemplum non adest, sed cf. Demosth. advers. Midiam p. 537. 22. οὐ γὰρ ἡ πληγὴ παρέστησε τὴν ὀργήν, ἀλλ' ἡ ἀτιμία — *non enim plaga movit iram, sed ignominia.*

Lentingius coniecit: παρεστάναι λεχοῖ — *iuvare puerperam.* Fortasse credere potest Iason Medeam affuturam esse nuptiis, nunquam tamen credere potest Medeam adiuturam esse invisam istam Glaucen parturientem. Laurentianus habet καὶ συγγαμεῖν σοι καὶ παρεστάναι λέχει. Quid autem συγγαμεῖν σοι significare debeat, nescire me fateor; γαμεῖν enim semper de viro dicitur; totus versus 887 spurius mihi videtur. Mirari sane Iason potest quod Medea vs. 886 dicit se oportere adiuvare consilia Iasonis. Sed non solum miratus esset Iason, verum etiam diffisus esset Medeae dicenti se stare debere ad lectum coniugale. Fieri non potest quin intellegat Iason simulare Medeam et mentiri, si talia audiverit. Suspicionem magnam movebit Medea talia dicens, quae servam potius quam reginam decent neque conveniunt cum atroci et acerba indole eius. Nauckio ergo assentior interpolatum versum 887 censenti. Addidit, opinor, homo qui verba νύμφην κηδεύουσαν illustrare voluit; quod perperam fecit. κηδεύουσαν generali sensu accipiendum est: „*colentem.*"

Locali sensu παρεστάναι — „*iuxta stare*" etiam adhibetur Alcest. 1010 sq. ἐγὼ δὲ σοῖς κακοῖσιν ἠξίουν ἐγγὺς παρεστὼς ἐξετάζεσθαι φίλος — *ego vero in tuis malis cum prope adessem*

me censebam dignum qui explorarer amicus. Hoc loco malim cum Dobraeeo legere ἐγὼ δ'ἐν σοῖς κακοῖσι. (cf. in eadem fabula vs. 211 ἐν κακοῖσιν παρεστάναι) Coniungenda mihi videntur verba ἐν σοῖς κακοῖσι cum verbo ἐξετάζεσθαι — *dignum me putabam qui explorarer amicus in tuis malis.* Hercules non solum se amicum vocari vult Admeti felicis, sed etiam nomine amici dignum se praebere vult cum malis obrutus sit Admetus. ἐγγὺς παρεστώς causam indicat: „*quia prope aderam, quia occasio mihi oblata erat.*"

Heraclid. 564 οὐκ ἂν δυναίμην σῷ παρεστάναι μόρῳ — *non possim tuae adesse neci.* παρεστάναι hoc loco impotentiam indicat spectatoris, qui adstat neque auxilium ferre potest. Localis notio cum translato colore etiam invenitur Ion 611 sqq. πῶς δ'οὐχ ὑπ' αὐτῆς εἰκότως μισήσομαι || ὅταν παραστῶ σοὶ μὲν ἐγχύθεν ποδός, || ἡ δ' οὖσ' ἄτεκνος τὰ σὰ φίλ' εἰσορᾷ πικρῶς; — *quomodo ei non invisus ero iure, quando ego assistam tibi ad pedem, ispa vero orba, quae tibi cara sunt, acerbe intuebitur?* Non solum „*adstare*" sed etiam „*praesto esse*" hoc loco παραστῆναι significat.

b. T r a n s l a t u s u s u s.

I u v a n d i vim habens παρίστασθαι occurrit Heraclid. 589 sq. οὐ γὰρ ἐνδεὴς || ὑμῖν παρέστην, ἀλλὰ προύθανον γένους — *non enim defui vobis, sed mortua sum pro genere.* Alcestis 210 sq. οὐ γάρ τι πάντες εὖ φρονοῦσι κοιράνοις || ὥστ' ἐν κακοῖσιν εὐμενεῖς παρεστάναι — *non enim omnes bene volunt dominis, ut in malis benevoli adsint.* Adiectivum adhibitum est vi adverbiali, quae ratio notior est in verbis movendi, sicut apud Sophoclem Philoct. 808 ὀξεῖα φοιτᾷ καὶ ταχεῖ' ἀπέρχεται.

παραστατεῖν.

C o g n a t u m v e r b u m π α ρ α σ τ α τ ε ῖ ν duobus locis reperitur: Rhesus 637 sqq.: ἐγὼ δὲ τῷδε σύμμαχος Κύπρις || δοκοῦσ'

ἀρωγὸς ἐν πόνοις παραστατεῖν || σαθροῖς λόγοισιν ἐχθρὸν ἄνδρ' ἀμείψομαι — *ego vero huic visa tamquam socia Venus in periculis adiutrix adstare, inanibus dictis inimico viro respondebo.* Per metrum poeta licuit dicere ἐν πόνοις παρεστάναι (cf. Alcest. 211 ἐν κακοῖσιν παρεστάναι). Sed verbum παραστατεῖν magis poeticum ei visum est.

Alter locus ubi verbo παραστατεῖν usus est Euripides in Phoenissis est vs. 159 sq. ἐκεῖνος ἑπτὰ παρθένων τάφου πέλας || Νιόβης Ἀδράστῳ πλησίον παραστατεῖ — *ille septem virginum iuxta sepulcrum Niobes prope Adrastum stat.* Potuerat dicere poeta: Νιόβης παρεστηκὼς Ἀδράστῳ πλήσιον sed maluit poetico verbo παραστατεῖν uti.

Redeamus ad verbum παρίστασθαι. Participium perfecti παρεστώς ut apud alios, apud nostrum quoque invenitur notione „*praesens.*" Praesertim coniungitur cum substantivis dolorem calamitatem plangorem designantibus. Saepissime legimus παρεστῶτα κακά: Suppl. 1041 sqq. ἐπεὶ δ' ἐγὼ || φυλακὰς ἀνῆκα τοῖς παρεστῶσιν κακοῖς || βέβηκεν — *postquam ego custodiam remisi propter praesentia mala, excessit.* Androm. 94 τέρψις τῶν παρεστώτων κακῶν. 1233 sq. τοῖς παρεστῶσιν κακοῖς || μηδέν τι λίαν δυσφορεῖν Ion 929 τῶν παρεστώτων κακῶν. Helena 484 παρεστώσας ξυμφοράς. Phoeniss. 1309 παρεστῶτας γόους, 1409 παρεστῶτος πόνου.

c. Nonnunquam motum indicat verbum παρίστασθαι ut iam ex Homero apparet: Iliad. III. 405 τοὔνεκα δὴ νῦν δεῦρο δολοφρονέουσα παρέστης; *ideo iam nunc dolos struens huc advenisti?* Apud Euripidem translate tantum reperitur: Hecuba 229 αἰαῖ· παρέστηχ' ὡς ἔοικ', ἀγὼν μέγας — *heu, instat, ut videtur, certamen magnum.* Recte Scholiastes: ἦλθε, ἐνέστηκεν. Medea 331 ὅπως ἄν, οἶμαι, καὶ παραστῶσιν τύχαι — *prout, opinor,*

fortuna accesserit. Bene adnotat scholiastes: ὡς ἂν ἡ τύχη παραγένοιτο. Miror nonnullos viros doctos hunc versum mutare voluisse. Rhesus 780 καί μοι καθ' ὕπνον δόξα τις παρίσταται — *et mihi imago quaedam in somno offertur.* Paullo aliter Sophocl. Oed. Reg. 911 δόξα μοι παρεστάθη, i. e. ἔδοξε μοι. Unde impersonaliter omisso vocabulo δόξα verbum παρίστασθαι ponitur Ion 1451 sq. ἐμοὶ γενέσθαι πάντα μᾶλλον ἂν ποτε || μῆτερ, παρέστη τῶνδ', ὅπως σός εἰμ' ἐγώ — *mihi omnia citius eventura esse, mater, in mentem incidisset quam quod tuus filius sim.* Hic usus apud alios quoque invenitur, imprimis apud Thucydidem (e. g. IV. 61. 2).

Dignus tandem qui memoretur est locus in Heraclid. vs. 501 sq. ἐγὼ γὰρ αὐτὴ πρὶν κελευσθῆναι, γέρον || θνήσκειν ἑτοίμη καὶ παρίστασθαι σφαγῇ — *ego enim, priusquam iubear, senex, parata sum mori et me dedere caedi.* παρίστασθαι hac notione praeditum apud Herodotum saepe legitur absolute, sine dativo (e. g. III. 155 οἱ πολέμιοι παραστήσονται, ibidem 13). Cum dativo coniunctum neque apud Herodotum neque apud alium hoc sensu παρίστασθαι inveni. Quam ob causam nostro loco Euripideo quoque dativum σφαγῇ non e praepositione pendere puto, sed dativum finalem esse, sicut apud Homerum, Iliad. VII. 218 προκαλέσσατο χάρμῃ — *provocavit ad certamen,* Iliad XXI. 394 θεοὺς ἔριδι ξυνελαύνεις — *deos ad certamen committis.*

παρῆσθαι.

Verbum παρῆσθαι ex Homero traditum (cf. Iliad. I 421 νηυσὶ παρήμενος) apud nostrum uno loco legitur sensu mere locali, Supplic. 289 sq. ἔπαιρε λευκὸν κρᾶτα, μὴ δακρυρρόει || σεμναῖσι Δηοῦς ἐσχάραις παρημένη — *erige canum caput, noli lacrimas fundere sanctis focis Cereris assidens.* Apud recentiores tantum invenitur.

παρεδρεύειν.

Proxime ad hoc verbum accedit *παρεδρεύειν*, Alcestis 746 sq. *τούτων μετέχουσ' || ᾍδου νύμφῃ παρεδρεύοις* — ***horum particeps Plutonis coniugi assideas.*** Florentinus (L) et Palatinus (P) habent *προσεδρεύοις*. Mihi magis placet lectio *παρεδρεύοις* quod *παρά* maiore vi quam *πρός* praesentiam in vicinitate solet designare. cf. Kühner – Blass, Griech. Grammat. II. 1. p. 509: „***Die Präpositionem*** *πάρα* ***und*** *πρός* ***sind in ihrer Bedeutung einander nah verwandt, indem*** *παρά* ***die Nähe,*** *πρός* ***die Gegenwart der Dinge bezeichnet, unterscheiden sich aber dadurch von einander, dass*** *παρά* ***mehr von räumlichen und äusseren Beziehungen,*** *πρός* ***dagegen mehr von causalen und inneren, von Thätigkeitsbeziehungen gebraucht wird.***" Hoc discrimen in compositis quoque saepe apparet.

Ceterum *παρεδρεύειν* derivatum est verbum ab adiectivo *πάρεδρος*. Simplex *ἑδρεύειν* nusquam invenitur. Apud Demosthemen *παρεδρεύω* significat: ***assessor sum.*** Apud alios non occurrit, recentioribus exceptis.

παραμένειν.

Verbum *παραμένειν* apud Homerum nec non apud alios post eum, proprio sensu locali usurpatur, absolute Iliad. XIII. 151: *παρμένετε* — ***loco manete, perseverate,*** cum dativo Iliad. XI. 402.

Apud Euripidem duobus locis legitur translate adhibitum: Absolute: Electra 941 sq. *ἡ γὰρ φύσις βέβαιος, οὐ τὰ χρήματα || ἣ μὲν γὰρ αἰεὶ παραμένουσ' αἴρει κακά* — ***ingenium enim stabile est, non divitiae; hoc nempe semper permanens aufert mala.*** Verba *αἴρει κακά* quae multis suspecta sunt, sana mihi esse videntur. Verbo *αἴρειν* pro *ἀπαίρειν* Plutarchus proprio sensu usus est; (de tuenda sanitate p. 383 *ἀρθείσης τῆς τραπέζης* ***sublata mensa.*** cf. etiam Plut. Sympos. VII. 4. 1 ubi pro-

miscue scripsit *αἴρειν* et *ἀπαίρειν τράπεζαν*; in titulo: *διὰ τί τοῖς πάλαι Ῥωμαίοις ἔθος ἦν μὴ τράπεζαν αἰρομένην περιορᾶν κενήν*, paullo infra: *οὐκ εἴα κενὴν ἀπαίρειν τὴν τράπεζαν*).

Alter locus ubi cum dativo coniungitur verbum est in Oreste vs. 1249 sq. *τίνα θροεῖς αὐδὰν, πότνια; παραμένει || γὰρ ἔτι σοι τόδ' ἐν Δαναΐδῶν πόλει — quam vocem effers, o venerabilis? hoc enim nomen tibi adhaeret adhuc in Danaidarum urbe. παραμένει σοι ἐν πόλει* breviter dictum est pro: *παραμένει σοι καὶ τοῖς πολίταις — nomen πότνια tibi adhaeret et te ποτνίαν appellare civibus insitum est.*

Optime sensum huius verbi indicat Stephanus i. v. *res etiam aliquae dicuntur παραμένειν ei, apud quem constanter permanent et cuius veluti latus nunquam destituunt, sed semper comitantur et adsunt.*

παραυλίζειν.

Verbum *παραυλίζειν* activa forma tantum occurrit Ion 492 sq. *ὦ Πανὸς θακήματα καὶ || παραυλίζουσα πέτρα μυχώδεσι Μακραῖς — O Panis sedes et petra vicina cavernosi Macris.* Derivatum est verbum ab adiectivo *πάραυλος* ut *ὑστερίζειν* (*ὕστερος*), *σπανίζειν* (*σπάνιος*). Simplex enim passive tantum adhibetur. Eodem modo *ἐναυλίζειν* (Soph. Philoct. 33) ab adiectivo *ἔναυλος* deducendum est; apud alios enim media forma occurrit. Notabilis usus est participii *παραυλίζουσα* nostro loco, quum alibi *αὐλίζεσθαι* fere semper de personis dicitur. Eodem modo adiectivum *πάραυλος* de clamore dictum est apud Sophoclem (Aiax 893) *τίνος βοὴ πάραυλος ἐξέβη νάπους — cuius vox haec proxime e nemore exit?* Adnotat Scholiastes: *ἐγγὺς παρὰ τὴν αὐλήν, ἢ θρηνητικὴ παρὰ τοὺς αὐλούς.* Secundam explicationem scholiastae minime huc quadrare quivis videt.

Euripides verbum *παραυλίζειν* formasse videtur, cuius media forma postea apud Athenaeum legimus (IV. 189 E.)

παρασπίζειν.

Verbum παρασπίζειν ter apud nostrum legitur; ante eum nemo hoc verbum usurpavisse videtur, postea apud Plutarchum (Pelop. 18) aliosque reperitur. Verisimile est Euripidem derivasse verbum a substantivo παρασπίστης, quod semel iterumque apud eum invenimus (Phoeniss. 1172. Electra 886 Cycl. 6.) Sic ὑπασπίζειν (Heraclid. 217) a substantivo ὑπασπίστης formavit. Quamquam simplex ἀσπίζειν „*clypeo tegere*" in veteribus lexicis occurrit, παρασπίζειν tamen nunquam usurpatur notione *clypeo a latere tegendi*, sed semper significat „παρασπίστην *esse*" i. e. *socium esse*. Sic ὑπασπίζω est ὑπασπίστης εἰμί.

Ion 1528 sqq. μὰ τὴν παρασπίζουσαν ἅρμασίν ποτε || Νίκην Ἀθάναν Ζηνὶ γηγενεῖς ἔπι, || οὐκ ἔστιν οὔτις σοι πατὴρ θνητῶν, τέκνον — *non per eam quae quondam curru vecta socia Iovi adfuit, Victoriam Minervam, adversus terrigenas, nullus mortalium est tibi pater, o fili.* Non vult poeta Minervam Iovem clypeo texisse, sed generaliter accipiendum est παρασπίζουσα — *opitulans*. Herc. Fur. 1098 sqq. πτερωτὰ δ' ἔγχη τόξα τ' ἔσπαρται πέδῳ || ἃ πρὶν παρασπίζοντ' ἐμοῖς βραχίοσιν || ἔσῳζε πλευρὰς ἐξ ἐμοῦ τ' ἐσῴζετο — *alatae sagittae et arcus sparsi sunt humi, quae antea, ut socii, meis bracchiis opitulantia servabant latera et a me servabantur.* Sane audax translatio est, qua propria fere absconditur notio, nam sagittae arcus bracchiis Herculis opitulabantur i. e. maiorem vim dabant. Tandem παρασπίζειν invenitur Phoeniss. 1434 sq. ἐθρήνει τὸν πολὺν μαστῶν πόνον || στένουσ' ἀδελφή θ' ἡ παρασπίζουσ' ὁμοῦ — *lugebat magnum uberum laborem, gemens et soror, adstans matri, simul* (sc. gemuit.) Recte enim Geelius adnotat: ὁμοῦ *non pertinet ad* παρασπίζουσα. Quae sequuntur nimis longe quaesita mihi videntur. Pergit: *sed repeti desiderat* ᾤμωξεν *ex prae-*

gressis. Hoc non difficile erat inventu. Mater eiulabat: ὦ τέκνα — filia: ὦ γηροβοσκώ — ambaeque has lamentationes una pronuntiare et miscere dicuntur. Non quia eodem vocabulo incipientes gemunt, sed quoniam eodem tempore lamentantur, ὁμοῦ addit poeta. Non opus est talibus argumentis, ut convincamur ὁμοῦ non ad παραστίζουσα pertinere. Herwerdenus mavult legere παραστατοῦσ', quod ridicule dictum ei videtur παραστίζουσα. Affert Geelii iudicium qui adnotat: „*Iam satis audacter et fere comice a milite παραστίζειν dicitur virgo, quae matrem comitatur eiusque lateri adstat vel adiacet et vix eo excusandum, quod in medio belli tumultu versantur. Fac virginem matris lamentationes in summo dolore comitantem, tamquam eius „armigeram" et risum tene, si potes!*" Dixit haec Geelius ne sequamur scholiastam qui ὁμοῦ cum participio παραστίζουσα coniungit. Concedo non eleganter poetam Antigonam παραστίζουσαν dixisse; quomodo autem παραστατοῦσ' in παραστιζουσ' abiisse possit, non intellego. Puto παραστίζουσα in universum accipiendum esse et vertendum: „*matri adstans.*"

παρέχειν.

1. Localis usus.

In verbo παρέχειν raro apparet pristina vis praepositionis. Proprio sensu occurrit Hom. Iliad. IV. 229 sq. τῷ μάλα πόλλ' ἐπέτελλε παρισχέμεν', ὁππότε κέν μιν || γυῖα λάβῃ κάματος πολέας διὰ κοιρανέοντα. Sermo fit de Agamennone qui ipse in pugnam properat, sed ministrum cum curru relinquit. Ex praecedentibus versibus ad παρισχέμεναι supplendum est ἵππους. Significat παρισχέμεναι „*in vicinitate tenere.*" Huius significationis mere localis nequiquam alia exempla quaesivi. Proxime accedit Iph. Aul. 732 sq. τίς δ' ἀνασχήσει φλόγα; || ἐγὼ παρέξω φῶς ὃ νυμφίοις πρέπει — *quis facem tollet? ego iuxta eam lumen feram, quod sponsis convenit.* παρέξω φῶς non solum significare

„*praebebo lucem*" sed etiam „*iuxta te feram facem*" apparet ex praegresso verbo ἀνασχήσει.

2. Translatus usus.

a. Paullatim ex notione iuxta tenendi nascitur sensus praebendi, quia ἐγγὺς τοῦ λαμβάνοντος ἔχει τὸ διδόμενον qui donat, ut adnotat Eustathius ad Homerum (Iliad. IV. 229). Praemittam locum, ubi absolute sine dativo hac notione usurpatur παρέχειν: Hecuba 549 παρέξω γὰρ δέρην εὐκαρδίως — *forti animo enim porrigam collum*. Significat παρέξω, ut ex versu 565 πάρεστι λαιμὸς εὐτρεπὴς ὅδε apparet, ἕξω ὥστε παρεῖναι. Eadem verba ad litteram leguntur Iph. Aul. 1560; recte autem hanc ultimam scenam plerique editores Porsonum secuti deleverunt.

b. Cum dativo παρέχειν coniungitur Hecuba 842 sq., ubi pristina vis praepositionis adhuc perspici potest: πιθοῦ, παράσχες χεῖρα τῇ πρεσβύτιδι || τιμωρόν, εἰ καὶ μηδέν ἐστιν, ἀλλ' ὅμως — *audi, porrige manum ultricem anui, etsi nihil est, sed tamen porrige*. παράσχες χεῖρα τῇ πρεσβύτιδι τιμωρόν est σχὲς χεῖρα ἵνα παρῇ τῇ πρεσβύτιδι τιμωρός. Dativus τῇ πρεσβύτιδι cum utraque voce coniungendus est. Recte adnotat scholiastes ad verba εἰ καὶ μηδέν ἐστιν haec: ἡ ἱτετεύουσά σε, ὡς αἰχμάλωτος καὶ δούλη.

c. Paullatim παρέχειν propriam vim amisit, ita ut magis respiceretur finis actionis. Tunc significat: in promptu, praesto habere aliquid, et transitum facit ad verbum παραδιδόναι. Exstat locus Homeri Iliadis (XVIII. 556) qui optime nobis indicat, quomodo notio tenendi abierit in sensum praebendi: παῖδες δραγμεύοντες ἐν ἀγκαλίδεσσι φέροντες || ἀσπερχὲς πάρεχον. Non iam tenent pueri manipulos sed tradunt, mit-

tunt ex manibus. Apud Euripidem raro hoc sensu legitur παρέχειν de rebus concretis: Iph. Taur. 950 sq. οἱ δ' ἔσχον αἰδῶ, ξένια μονοτράπεζά μοι || παρέσχον — *qui me reverebantur, cibos in solitaria mensa positos mihi praebebant.* De eadem re verbo παρατιθέναι usus est noster Cycl. 390, de quo verbo vide c. I. § 2. p. 25.

Hippol. 618 sq. εἰ γὰρ βρότειον ἤθελες σπεῖραι γένος || οὐκ ἐκ γυναικῶν χρῆν παρασχέσθαι τόδε — *si enim humanum volebas seminare genus, non ex mulieribus oportebat hoc praeberi.* Iph. Aul. 1200 sq. ἐν ἴσῳ γὰρ ἦν τόδ', ἀλλὰ μὴ σ' ἐξαίρετον || σφάγιον παρασχεῖν Δαναΐδαισι παῖδα σήν — *hoc enim aequum erat; at non electum dedere filiam tuam victimam Graecis.* Inest sensus negligentiae quam infra in verbo παριέναι deprehendemus. (cf. c. V.).

Saepissime de rebus abstractis usurpatur e.g. Hippol. 711 sq. τοσόνδε μοι παράσχετ' ἐξαιτουμένῃ || σιγῇ καλύπτειν ἀνθάδε εἰσηκούσατε — *tantum mihi praestate deprecanti, ut silentio tegatis quae hic audivistis.* Similiter in eadem fabula vs. 1111 εἴθε μοι εὐξαμένᾳ θεόθεν τάδε μοῖρα παράσχοι. Iph. Aul. 382 sq. λέκτρα χρήστ' ἐρᾷς λαβεῖν· || οὐκ ἔχοιμ' ἂν σοι παρασχεῖν. Phoeniss. 893 πόλει παρασχεῖν φάρμακον σωτηρίας. Orest. 186 ὕπνου χάριν παρέξεις.

De animi affectibus adhibetur: Hippol. 1036 sq. ἀρκοῦσαν εἶπας αἰτίας ἀποστροφὴν || ὅρκους παρασχών, πίστιν οὐ σμικράν, θεῶν — *sufficientem dixisti criminis depulsionem, ius iurandum praebens, non levem fidem, per deos.* Phoen. 268 τὰ πίστ' ἐμαυτῷ τοῦ θράσους παρέξομαι — *securitatem audaciae mihi ipsi praebebo.* Hippol. 1322 sqq. οὐ χρόνῳ μακρῷ || σκέψιν παρέσχες, ἀλλὰ θᾶσσον ἢ σε χρῆν || ἀρὰς ἐφῆκας παιδὶ καὶ κατέκτανες — *tempori longo inquisitionem non tribuisti, sed citius quam decebat exsecrationes emisisti in filium et eum necasti.* Extremo loco quattuor codices Vaticanus (B) Parisinus (E) Havniensis (C) Parisinus (a) habent παρέσχες, Florentinus (L) et Palatinus (P)

γ' ἔνειμας. Mihi magis placet lectio παρέσχες. Ut enim Phoeniss. 268 dixit τὰ πίστ' ἐμαυτῷ παρέξομαι et Hippol. 1037 ὅρκους παρασχὼν πίστιν οὐ σμικράν, sic optime h. l. dixit σκέψιν παρέσχες. Notio efficiendi, quam mox describemus p. 23, hic iam conspicitur. Quos locos de verbo νέμειν Valckenarius affert, minime confirmare lectionem γ' ἔνειμας puto; difficultatem autem effugit Ratallerus interpretando: *„non tu veritati explorandae tempus tribuisti.“* Non sic mihi Valckenarius persuadet lectionem σκέψιν γ' ἔνειμας elegantiorem esse, ut dicit. Confert locum Sophocl. Aiacis (vs. 28) τὴν δ' οὖν ἐκείνῳ πᾶς τις αἰτίαν νέμει — *illi quisque culpam tribuit.* Nostro loco νέμειν non solum *„tribuere“* sed etiam *„praestare, efficere“* significare debet. Quam notionem, licet in verbo νέμειν fortasse hic illic inveniri possit, verbo παρέχειν magis propriam esse arbitror.

παρέχειν ὄνομα ter occurrit. Iphig. Aul. 128 sq. ὄνομ', οὐκ ἔργον παρέχων Ἀχιλεὺς || οὐκ οἶδε γάμους — *nomen suum, non manum, praebens Achilles nihil novit de nuptiis.* Eodem sensu Helena 1652 sq. ἐπεὶ δὲ Τροίας ἐξανεστάθη βάθρα || καὶ τοῖς θεοῖς παρέσχε τοὔνομ', οὐκέτι (sc. χρῆν κείνην κατοικεῖν σοῖσιν ἐν δόμοις vs. 1651) — *postquam Troiae eversae sunt sedes et diis nomen suum praebuit (Helena), non amplius (in tuis aedibus oportebat illam habitare).* Ambobus hisce locis παρέχειν est *„utendum praebere.“* Tertio loco παρέχειν ὄνομα legitur Helena 1099 sq. ἅλις δὲ λύμης ἥν μ' ἐλυμήνω πάρος || τοὔνομα παρασχοῦσ', οὐ τὸ σῶμ' ἐν βαρβάροις — *satis iniuriae, qua me affecisti, nomen praebens barbaris, non corpus.* Recte hunc ultimum versum delent plerique editores. Absente pronomine possessivo cogimur τοὔνομα referre ad Venerem; quod tamen contextus non sinit. Non Venus sed Helena nomen suum deis praebuit.

Quattuor locis παρέχειν δίκην (δίκας) legitur apud Euripidem. Idem noster et ὑπέχειν δίκην dixit Hecub. 1253 Orest. 1649. Hoc cum Sophocle, qui Oed. R. 552 habet ὑφέξειν τὴν δίκην.

Sed παρέχειν δίκην apud ceteros tragicos non inveni. Idem valet atque διδόναι δίκην apud alios nec non apud nostrum. Iph. Taur. 942 sqq. ἠλαυνόμεσθα φυγάδες ἐμμανῆ πόδα, || ἔστ' εἰς 'Αθήνας δή μ' ἔπεμψε Λοξίας || δίκην παρασχεῖν ταῖς ἀνωνύμοις θεαῖς — *furibundus exsul pellebar dum Athenas me misit Apollo ut poenas solverem non nominandis deabus.* Item Hippol. 49, Androm. 1107, ubi plurali numero usus est (δίκας παρασχεῖν) Phoeniss. 1654 καὶ τῷ τάφῳ νυν τὴν δίκην παρασχέτω — *et sepultura nunc (meritam) poenam dato.* Articulus maiorem vim addit cf. Heraclid. 1025 οὗτος δὲ δώσει τὴν δίκην θανὼν ἐμοί — *hic vero interfectus (meritas) poenas mihi dabit.* Item Sophocl. Oed. R. 552.

Unus locus apud Euripidem exstat ubi cum duobus dativis coniungitur παρέχειν: Helena 1248 τί σοι παράσχω δῆτα τῷ τεθνηκότι; — *quid tibi praestem pro mortuo?* σοί dativus recipientis, τῷ τεθνηκότι dativus commodi est.

Troad. 308 et Cycl. 203 παρέχειν peculiari sensu adhibetur. Priore loco legimus: ἄνεχε, πάρεχε, φῶς φέρε· σέβω, φλέγω || λαμπάσι τόδ' ἱερόν — *inhibe, praebe viam, fer lumen; colo, illustro facibus hoc sacellum.* Altero loco, Cycl. 203 ἄνεχε, πάρεχε, τί τάδε; τίς ἡ ῥᾳθυμία; || τί βακχιάζετ'; — *inhibe, praebe viam, quid hoc est? quis hic lusus? quid bacchamini?* Scholiastes ad Troad. 308 adnotat: ἄνεχε, πάρεχε: ὡς πρός τινα ποιεῖται τὸν λόγον δᾳδουχοῦντα: ἀναχώρει, φησί καὶ πάρεχε ὁδόν. δύναται δὲ πρὸς ἑαυτὴν λέγειν ἀντὶ τοῦ ἄνεχε καὶ φέρε. Extrema sententia potius abesset. ἄνεχε, πάρεχε significare „*inhibe, praebe viam*" confirmatur loco Aristophaneo (Vesp. 1328) ubi amborum imperativorum eadem est notio: ἄνεχε, πάρεχε· κλαύσεταί τις τῶν ὄπισθεν ἐπακολουθούντων ἐμοί — *inhibe, praebe viam; plorabit aliquis eorum qui a tergo me sequuntur.* Hoc loco constat ἄνεχε et πάρεχε non dici de facibus tollendis; ipse enim Philocleo facem tenet neque convivis imperat ut faces

afferant, sed ut abeant (cf. 1330) neque eum molestent. Arist. Aves 1720 quoque haec notio optime quadrat; legimus: ἄναγε, δίεχε, πάραγε, πάρεχε — *recede, ordines laxa, chorum duc, praebe locum*. Chorum avium faces tenere verisimile non est neque, ut Kockius vult, παρέχειν vertendum est: „*sich in der Nähe halten.*" Loco Homeri (Iliad. IV. 229) quem affert Kockius, παρισχέμεν transitive adhibetur (vid. supr. p. 16). Nostro loco Euripideo (Troad. 308) verba ἄνεχε, πάρεχε, φῶς φέρε choro dicit Cassandra. Mirum enim esset, si imperativo modo se ipsa allocuta Cassandra, statim post autem perrexisset indicativi prima persona (σέβω, φλέγω λαμπάσι τόδ' ἱερόν). Quam ob rem perperam scholiastes adiecit: δύναται δὲ πρὸς ἑαυτὴν λέγειν. Chorum non faces tollere Cassandra iubet, sed recedere et viam praebere. Ipsa lumen fert (cf. vs. 320. 348). Quod ad verbum ἀνέχειν attinet, simili modo Xen. Hellen. I. 6. 28 adhibetur: ἐπεὶ δὲ ἀνέσχεν — *postquam (pluere) desiit.*

Haud magis altero loco (Cycl. 203) contextus nos cogit ad πάρεχε supplere δαΐδας; nulla enim fit mentio facium. Optima fit sententia, si ἄνεχε, πάρεχε vertimus: *inhibe, praebe locum.* Minatur Cyclops, nisi bacchari desierint, se poenas sumpturum. cf. 210 sq. τάχα τίς ὑμῶν τῷ ξύλῳ || δάκρυα μεθήσει. Ergo non iubebit eos tollere et afferre faces.

d. παρέχειν cum duobus accusativis.

Saepissime ad obiectum adiectivum accedit, quod nonnunquam praedicative accipiendum est. Praemittam locos, ubi arctius cum obiecto quam cum verbo coniungendum est adiectivum. Paullulum mutatur notio verbi neque „*praebere*" tantum, sed „*exhibere, offerre, ostendere*" valet.

1. Iph. Aul. 931 sq. ἀλλ' ἐνθάδ' ἐν Τροίᾳ τ' ἐλευθέραν φύσιν || παρέχων, Ἄρη τὸ κατ' ἐμὲ κοσμήσω δορί — *hic autem et in Troia liberam indolem exhibens, Martem, quantum in*

me est, ornabo pugnando. ἐλευθέρα φύσις una notio est: *libertas animi.* Eodem modo interpretandi sunt versus Orestis (1170 sq.): ὅν οὐ καταισχυνῶ || δοῦλον παρασχὼν θάνατον — *quem non dedecorabo servilem exhibens mortem.* Hic quoque, ne ambiguitatem pariamus, δοῦλον et θάνατον arcte coniugenda sunt. δοῦλος θάνατος fere idem est ac δούλου θάνατος — *mors indigna qualem servi exhibere solent.*

Item Troad. 655 sq. γλώσσης τε σιγὴν ὄμμα θ' ἥσυχον πόσει || παρεῖχον — *linguae silentiam et placidum aspectum marito exhibebam.* Adiectivum et substantivum hic unam notionem efficere quivis videt.

2. Sequantur loci ubi adiectiva vel participia praedicative adhibita sunt. Saepe additur articulus. Suppl. 875 sqq. φίλων δὲ χρυσὸν πολλάκις δωρουμένων || οὐκ εἰσεδέξατ' οἶκον ὥστε τοὺς τρόπους || δούλους παρασχεῖν χρημάτων ζευχθεὶς ὕπο — *amicis aurum saepe offerentibus non recepit in aedes ut ingenium suum praeberet servile, obstrictus pecunia.* Praedicative accipiendum esse adiectivum δούλους arguit additum articulum τούς. Item Electra 363 οὔτοι τό γ' ἦθος δυσγενὲς παρέξομαι — *haud tamen animum meum exhibebo degenerem.* Troad. 82 sq. σὺ δ' αὖ τὸ σὸν παράσχες Αἴγαιον πόρον || τρικυμίαις βρέμοντα καὶ δίναις ἁλός — *tu autem exhibe tuum Aegaeum fretum gravibus procellis et salis verticibus fremens.* παρέχειν πόρον βρέμοντα est: „*ita exhibere fretum ut fremat.*" Medea 387 sq. τίς γῆν ἄσυλον καὶ δόμους ἐχεγγύους || ξένος παρασχὼν ῥύσεται τοὐμὸν δέμας; — *quis terram tutatricem et domum fidam praebens hospes servabit meum corpus?* παρέχειν ἄσυλον γῆν — *ita praebere terram ut tuta sit.* Quae dicendi ratio luculentius fortasse apparebit Supplic. 887 πόλει παρασχεῖν σῶμα χρήσιμον θέλων — *reipublicae utile afferre volens corpus* i. e. *ita afferre corpus, ut utilitati sit reipublicae.* Denique ut omnia exempla huius usus attulerimus, addatur locus Androm. 54 sq. εἴ πως

τὰ πρόσθε σφάλματ' ἐξαιτούμενος || θεὸν παράσχοιτ' ἐς τὸ λοιπὸν εὐμενῆ — *si quo modo, priora peccata deprecans, deum sibi in posterum propitium praebeat.* Satis frequens hic usus est.

e. Venimus ad eos locos, ubi παρέχειν occurrit praeditum notione „efficiendi" quae apud alios scriptores quoque haud insolita notio est. Hippol. 433 sq. δέσποιν', ἐμοί τοι συμφορὰ μὲν ἀρτίως || ἡ σὴ παρέσχε δεινὸν ἐξαίφνης φόβον — *domina, mihi quidem calamitas tua modo iniecit repente ingentem metum.* Item φόβον παρέχειν legitur Hecub. 1113, Rhesus 289. ἔκπληξιν παρέχειν occurrit Iph. Aul. 606, sed ab omnibus fere editoribus hi versus recte Euripidi abiudicantur. Solita est locutio ὄχλον παρέχειν quae apud nostrum reperitur in Medea 337 ὄχλον παρέξεις ὡς ἔοικας, ὦ γύναι — *negotium facesses, ut videris, mulier.* Redit Orest. 282.

πράγματα παρέχειν quod apud ceteros scriptores tam saepe legimus, dicere noluit Euripides utpote nimis vulgatum, sed πόνους παρέχειν Helena 621 habemus: πόνους παρεῖχες σῷ πόσει καὶ συμμάχοις — *labores praebuisti tuo marito et sociis.* Huc quoque trahi potest παρέχειν δάκρυα; Iph. Aul. 1215 νῦν δὲ τἄπ' ἐμοῦ σοφὸν || δάκρυα παρέξω — *nunc quae mea vis est, lacrimas praebebo*; ubi adiectivum τὸ ἀπὸ ἐμοῦ σοφόν non minus quam substantivum δάκρυα cum verbo παρέχειν coniungendum esse videtur.

f. Saepe cum infinitivo explicativo vel finali coniungitur παρέχειν. Helena 812 σιγῇ παράσχω δῆτ' ἐμὰς δῆσαι χέρας; — *tacens igitur manus meas ligandas dabo?* Iph. Taur. 1416 sqq. καὶ νῦν παρέξει τὸν 'Αγαμέμνονος γόνον || σοὶ καὶ πολίταις, ὡς ἔοικεν, ἐν χεροῖν || λαβεῖν ἀδελφήν θ' ἡ κ.τ.λ. — *et nunc tibi et civibus, ut videtur, tradet filium Agamemnonis in manus ut capias et sororem* e. q. s. Codices habent λαβεῖν

τ' ἀδελφήν quod recte mutavit Musgravius. Codicum si accipimus lectionem, duae constructiones oriuntur: παρέξει γόνον σοί ἐν χεροῖν et παρέξει λαβεῖν ἀδελφήν; satis durum hoc mihi videtur. Suavius currit oratio, si λαβεῖν non solum ad ἀδελφήν sed etiam ad γόνον trahimus. Quare legendum ἀδελφήν θ' ἤ. Duobus hisce locis verbum παρέχειν idem subiectum habet atque sequens infinitivus. Paullulum differt locus in Rheso (468) τοιαῦτα μέν σοι τῆς μακρᾶς ἀπουσίας πρᾶξαι παρέξω — *pro longa mea absentia dabo tibi talia quibus fruaris.* τοιαῦτα arctius coniungendum est cum verbo πρᾶξαι quam cum παρέξω. Idem valet τοιαῦτα πρᾶξαι ac τοιούτως πρᾶξαι; cf. Aristoph. Aves 800 — μεγάλα πράττει. Ion. 643 sq. δίκαιον εἶναι μ' ὁ νόμος ἡ φύσις θ' ἅμα || παρεῖχε τῷ θεῷ — *lex et natura simul me dedit deo, ut iustus essem.* Hic μέ quod subiectum est verbi εἶναι, obiectum verbi παρεῖχε est. Iph. Aul. 937 sq. οὐ γὰρ ἐμπλέκειν πλοκὰς || ἐγὼ παρέξω σῷ πόσει τοὐμὸν δέμας — *non enim ut (eo) fraudes nectas, concedam meum corpus marito tuo.* Ex obiecto verbi παρέξω sequenti infinitivo ἐμπλέκειν dativus instrumentalis addendus est.

Haec exempla infinitivi cum verbo παρέχειν coniuncti adici possunt eis, quae ex aliis scriptoribus affert Leeuwenius ad Aristoph. Nubes 422.

g. Impersonale παρέχει.

Unus locus exstat apud nostrum ubi impersonaliter adhibitum est παρέχειν, Electr. 1080. καίτοι καλῶς γε σωφρονεῖν παρεῖχέ σοι — *attamen optima occasio tibi erat, ut modestia htereris.* Wecklinius adnotat: *fort.* ὑπῆρχε. Satis rarus hic usus est; apud Herodotum tamen saepe occurrit e. g. III. 142. VIII 30, 75, 100, minus saepe apud Thucydidem e. g. IV. 85. 2. VI. 86. 5., apud Xenophontem Anabas: II. 1. 11 πλῆθος ἀνθρώπων ἐφ' ὑμᾶς δυνάμενος (βασιλεὺς) ἀγαγεῖν, ὅσον

οὐδ' εἰ παρέχοι ὑμῖν δύναισθε ἂν ἀποκτείνειν; hic tamen ad παρέχοι subiectum βασιλεύς animo suppleri fortasse praestat. Nostro loco Euripidi παρεῖχε adimendum non puto propter additum καλῶς. Hoc adverbium bis cum impersonali παρέχει coniungitur apud Thucydidem, nempe cum participio: παρασχὸν καλῶς — *cum optima occasio esset* V. 14. 2, 63. 1. Comparativo utitur Thucydides V. 60. 5 κάλλιον παρασχόν et Herodotus IX. 122 κότε γὰρ δὴ καὶ παρέξει κάλλιον — *quando enim melior occasio aderit.* Videtur hoc adverbium imprimis impersonali παρέχει adiungi solere. Quomodo ortus sit usus impersonalis docere potest Plutarch. Caes. p. 711. B αἰτίαν δὲ εἶχεν ὕστερον, ὡς ἄριστα τῷ καιρῷ τότε παράσχοντι κατὰ τοῦ Καίσαρος μὴ χρησάμενος — *postea culpatus est, quod tempore occasionem optimam offerente contra Caesarem non esset usus.* Hic locus qui tamen perspicue originem huius usus indicat, a Stephano negligitur.

§ 2. Verba motum in loco designantia.

Venimus ad ea verba, quae motum in loco designant. Cum praepositione παρά coniuncta indicant motum in vicinitate alicuius personae vel rei fieri.

παρατιθέναι.

Simplicissimum exemplum huius usus praebet verbum παρατιθέναι quod apud Sophoclem nusquam, apud Euripidem uno loco tantum habemus idque ea notione quae ex Homero familiaris erat „*cibum potumve apponendi.*" Cycl. 390 sq. σκύφος τε κισσοῦ παρέθετ' εἰς εὖρος τριῶν || πήχεων — *et poculum ex hedera sibi apposuit in latitudinem trium ulnarum.* Notatu dignum videtur hoc compositum apud Thucydidem quoque semel modo occurrere eodem sensu, I. 130 τράπεζαν Περσικὴν παρετίθετο — *mensam Persicam sibi apponi curabat.* Thucydides

sicut noster media forma huius verbi usus est. Saepe tamen adhibuit Euripides *προστιθέναι* et *ἐπιτιθέναι*, aliaque composita verbi *τιθέναι*.

Apud alios scriptores, imprimis apud Homerum *παρατιθέναι* cum propria notione tum translato sensu praeditum frequenter legimus.

παραζευγνύναι.

Cum verbo *παρατιθέναι* optime comparare possumus *παραζευγνύναι* — *lateri adiungere*, quod propria notione occurrit Ion 22 sqq. *κείνῳ γὰρ ἡ Διὸς κόρη || φρουρὼ παραζεύξασα φύλακε σώματος || δισσὼ δράκοντε, παρθένοις Ἀγλαυρίσι || δίδωσι σῴζειν* — *illi enim Iovis filia postquam custodes adiunxit, corporis tutamina, duos dracones, filiabus Aglauri dedit servandum.* Alibi apud nostrum usurpatur de femina viro nupta; fragm. apud Stobaeum 67. 8. *γυνὴ παραζευχθεῖσα (ἀνδρὶ οἰκοφθόρῳ).* Translate verbum e. g. apud Plutarchum legimus, ubi perlucescit imago conubii: *παρέζευξε τῇ κατὰ τὸν πόλεμον ἀσκήσει τὴν φιλομουσίαν.*

παρασκευάζειν.

Ad *παρατιθέναι* verbum proxime accedit *παρασκευάζειν.* Ne quis dubitet, sitne hoc verbum compositum verbi *σκευάζειν* an derivandum a substantivo *παρασκευή*, comparemus *ἐπονομάζειν, παρονομάζειν, προσαναγκάζειν* quae composita sunt verborum *ὀνομάζειν* et *ἀναγκάζειν* neque a nominibus deducenda.

παρασκευάζω τί τινι est *σκευάζω ὥστε παρεῖναι τί τινι*, cuius significationis optimum vestigium videmus Arist. Acharn. 1176 *ὀθόνια, κηρωτὴν παρασκευάζετε* — *linteola, ceratum parate, afferte.* Non solum praeparari has res oportet, sed ad manus, praesto esse alicui. Hic sensus apud Euripidem quoque reperitur: Herc. fur. 1368 sqq. *οὐδ' ὤνασθε τῶν ἐμῶν καλῶν, || ἁγὼ παρε-*

σκεύαζον ἐκμοχθῶν βίου || εὔκλειαν ὑμῖν, πατρὸς ἀπόλαυσιν καλήν — *neque fructum percepistis ex meis triumphis, quos ego comparavi, laboribus acquirens vitae gloriam vobis, fructum honestum patris.* Simplex σκευάζειν relationem eiusmodi localem personae vel rei non designat; cf. Herc. fur. 956 sq. κλιθεὶς δ' ἐς οὖδας ὡς ἐκεῖ σκευάζεται || θοίνην — *recumbens in solo quasi illic essent, parat sibi epulas;* Wilamowitzius ὡς ἐκεῖ mutavit in ὡς ἔχει „*wie er war, ohne weiteres.*" Supervacanea mihi videtur haec coniectura; bene se habet lectio codicum ὡς ἐκεῖ — *quasi illic, nempe* ἐν τῇ Νίσου πόλει *essent epulae.* Illic enim Hercules se adesse putat, ut apparet ex praegressis: μέσον δ' ἐς ἀνδρῶν' ἐσπεσὼν Νίσου πόλιν || ἥκειν ἔφασκε, δωμάτων ἔσω βεβώς, ibidem 954 sq. In eadem fabula paullo infra legimus, vs. 969 sq. φαρέτραν δ' εὐτρεπῆ σκευάζεται || καὶ τόξ' ἑαυτοῦ παισί — *apparat promptam pharetram et arcum contra suos liberos.* παισί dativus incommodi est neque tam arcte coniungendum cum verbo σκευάζεται quam supra fecimus in composito παρασκευάζειν.

Passivum παρασκευάζεσθαι saepius occurrit: Cycl. 214 ἄριστόν ἐστιν εὖ παρεσκευασμένον; — *prandium bene paratum adest?* Nonnunquam, ut apud alios (cf. Thucyd. III. 110. 2, I. 27. 2) cum infinitivo coniungitur: Heraclid. 691 μή τοί μ' ἔρυκε δρᾶν παρεσκευασμένον — *noli me detinere paratum aliquid facere.* Cum sequenti particula ὥστε: Herc. fur. 1241 τοιγὰρ παρεσκευάσμεθ' ὥστε κατθανεῖν — *ergo adsumus ad moriendum parati.* Admodum autem suspectum in hoc versu verbum κατθανεῖν. Sequenti enim versu dicit Theseus: δοκεῖς ἀπειλῶν σῶν μέλειν τι δαίμοσιν; In eo quod moriturum se promittit Hercules, minae inesse vix videntur. Paullo post Theseus Herculem, rogat quid facturus sit et tunc ille respondet: (vs. 1247) θανών, ὅθενπερ ἦλθον εἶμι γῆς ὕπο, quae verba, quoniam tum demum respondet Theseus εἴρηκας ἐπιτυχόντος ἀνθρώπου λόγους, languent,

si vs. 1241 praecedit κατθανεῖν. Optima est mutatio Weilii: ὥστε καὶ κρατεῖν, quam recepit Wilamowitzius, adnotans: „*Herakles meint mit seinem* κρατεῖν, *dass er durch den tod die qual bezwingen könne. er spricht das aber mit finsterem trotze, so dass Theseus versteht, er plane revolte gegen die götter, himmelssturm, um sich an Hera zu rächen.*" Wecklinius adscribit: *fortasse:* ὥστ' ἀμυναθεῖν. Minus recte: imminentia mala prohibere possumus, non praesentia. Neque in verbo ἀμυναθεῖν minae insunt, quas tamen versu 1241 expressas esse docuit nos sequens versus; omnes enim homines mala defendere conamur.

Apud alios scriptores παρασκευάζειν cum particula ὥστε nonnunquam occurrit e. g. Isocrat. Panegyr. (initio) τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς οὕτω παρασκευάσασιν ὥστε καὶ τοὺς ἄλλους ὠφελεῖν δύνασθαι.

παρευτρεπίζειν.

Haud multum a verbo παρασκευάζειν differt sequens παρευτρεπίζειν: Iph. Taur. 725 sq. ἀπέλθετ' ὑμεῖς καὶ παρευτρέπιζετε || τἄνδον μολόντες τοῖς ἐφεστῶσι σφαγῇ — *abite vos et apparate profecti intus res iis qui praesunt caedi.* παρευτρεπίζω τινί τι est παρέχω ηὐτρεπισμένον τινί τι.

Redit verbum in Cyclope vs. 594 παρευτρέπισται δ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν πυροῦν || Κύκλωπος ὄψιν, quae verba sic vertit Hermannus: *apparando praetermissum est nihil, nisi ut exurant Cyclopis oculum.* παρευτρεπίζειν autem significare posse *apparando praetermittere* nego. Infra videbimus (cf. c. VIII) παρά saepe in compositione indicare actionem verbi negligenter vel male fieri. Hanc autem mutationem parit praepositio si verbo inest sensus neuter neque hanc vim habet in compositione verborum, quae ipsa bonam aut malam notionem designant. εὐτρεπίζειν significat: „*bene apparare.*" παρά et εὖ in uno verbo hoc modo, ut Hermannus vult, coniungi posse non puto.

Accedit quod neque apud Euripidem neque apud ceteros scriptores hoc sensu occurrit verbum. (Secundum Stephanum apud Philonem II. p. 204. 21 et Polybium V. 108. 4 tantum legitur; utroque loco sensu *parandi*).

Vertere tamen non possumus: *nihil aliud apparatum est nisi ut exurant Cyclopis oculum.* Multa enim alia praeparata sunt a sociis, fuga imprimis. Verbum παρευτρέπισται e simpliciore locutione, ut πάντ' εὐτρέπισται, male ortum esse verisimile non est. Haec est opinio Kirchhoffii, sed mirabile esset librarium quendam pro verbis πάντ' εὐτρέπισται scripsisse insolitum verbum παρευτρέπισται. Mihi quidem levi correctione lectio codicum servanda videtur. Legendum: παρευτρέπισται, κ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν πυροῦν || Κύκλωπος ὄψιν — *bene apparatum adest nec aliud quicquam faciendum est nisi ut exurant Cyclopis oculum.* Ex praecedenti versu ad παρευτρέπισται supplere possumus δαλός. Ad verba οὐδὲν ἄλλο mente subaudiendum est: ποιητέον ἐστίν, sicut e. g. Aeschyl. Pers. 207 sq. ὁ δ' οὐδὲν ἄλλο γ' ἢ πτήξας δέμας || παρεῖχε — *ille autem nihil aliud fecit nisi contrahens sese corpus praebuit.* Ad quem locum Schützius adnotat: *supple* ἐποίει *cuius verbi frequens ellipsis.* cf. Xen. Cyrop. I. 4. 24.

Verbum παρευτρεπίζειν ab aliis nisi a recentioribus non usurpatur.

παραλείπειν.

Verbum παραλείπειν — *iuxta, in vicinitate relinquere* apud Euripidem ter legitur; quibus locis translate, ut semper apud ceteros scriptores quoque, usurpatur.

Helen. 974 sq. εἰ δ' ἐμὲ γυναῖκα τὴν ἐμὴν συλήσετε, || ἅ σοι παρέλιπεν ἥδε τῶν λόγων, φράσω — *si me coniuge mea spoliaveritis, dicam, quae verba haec tibi omisit.* Sensus negligentiae maior adest sequenti loco eiusdem fabulae, vs. 773 sq. ἓν δ' εἰπὲ

πάντα παραλιπών, πόσον χρόνον || πόντου 'πὶ νώτοις ἅλιον ἐφθείρου πλάνον; — *unum autem dic omissis ceteris omnibus rebus, quamdiu maris dorso erroribus defatigatus es?* Sic quoque extremo loco: Troad. 43 sq. (παρθένον) τὸ τοῦ θεοῦ τε παραλιπὼν τό τ' εὐσεβὲς || γαμεῖ βιαίως σκότιον 'Αγαμέμνων λέχος — *(virginem) nec deum nec pietatem reveritus, Agamemnon duxit per vim adulterino concubitu.*

§ 3. Verba motum designantia.

παραφέρειν.

Singularis est usus verbi παραφέρειν Helena 722 sqq. νῦν ἀνανεοῦμαι τὸν σὸν ὑμέναιον πάλιν || καὶ λαμπάδων μεμνήμεθ' ἃς τετραόροις || ἵπποις τροχάζων παρέφερον — *nunc memoria renovo iterum tuas nuptias et memini faces quas currens ferebam iuxta quadriiugos equos.* τροχάζων non iungendum est cum ἵπποις; non curru vehitur hic servus, non πάροχος sive παρανύμφιος est. πάροχος — *assessor,* qui in plaustro sedet quo deducitur sponsa, agnatus vel amicus esse solet. Sic Eros Ζηνὸς πάροχος dicitur ab Aristophane (Aves 1740). παρέφερον ἵπποις — *iuxta equos ferebam* dicitur ut Iph. Aul. 227 οἷς (πώλοις) παρεπάλλετο Πηλείδας σὺν ὅπλοισι παρ' ἄντυγα καὶ σύριγγας ἁρματείους — *prope quos currebat Pelides armatus iuxta rotarum orbem et modiolos curules.* Verba παρ' ἄντυγα καὶ σύριγγας accuratius quam οἷς locum indicant ubi currit Achilles; ipsa poeta se correxit; non semper iuxta equos, interdum quoque iuxta currum Pelidem esse vult.

Ceterum παραφέρειν eo sensu, quo adhibitum est Helena 723 apud alios scriptores fere nunquam legitur. Diversi enim sunt loci, qualis Platonis Resp. VII. p. 515 A παρὰ τὸ τειχίον φέροντας ἀνθρώπους σκεύη — *homines praeter murum praeterferentes utensilia.* Praeterferimus aliquid praeter aliquam rem,

quam praeterimus et relinquimus. Si quid tamen, ut nostro loco Euripideo, iuxta aliquid fertur, ad latus illius rei vel personae manet.

De verbo παραφέρειν quod bis apud nostrum redit infra plura videbimus (c. VI).

παραπάλλειν.

De verbo παραπάλλειν quod apud alios scriptores, quantum scio, non legitur, vid. p. 30.

παριππεύειν.

Verbum παριππεύειν uno loco apud nostrum adhibetur ibique iungitur cum accusativo loci, quo via indicatur: Helena 1664 sq. σωτῆρε δ' ἡμεῖς σῶ κασιγνήτω διπλῶ || πόντου παριππεύοντε πέμψομεν πάτραν — *et nos, servatores, gemini fratres tui iuxta per mare equitantes, mittemus te in patriam.* Ad verbum παριππεύοντε mente supplemus παρά σοι. Offensionem movere potest ille accusativus πόντου. Conferamus Androm. 1012 ἵπποις διφρεύων ἅλιον πέλαγος. Composita eodem modo nonnunquam cum accusativo invenimus, ut καταβαίνειν κλίμακα, Homeri Odyss. I. 330. Relatione autem quae in verbo καταβαίνειν inter praepositionem et accusativum loci exstat, in nostro παριππεύειν caremus.

Ceterum duobus locis Thucydideis a Stephano neglectis παριππεύειν adest cum hostili sensu *ad latus equitandi, obequitandi.* Thucyd. VII. 78. 3. et 6.

παρακαθιέναι.

Uno loco hoc verbum adest, Helena 1536 πηδάλιά τε ζεύγλαισι παρακαθίετο — *gubernacula loris ab utroque latere navis demittebantur.* De hisce loris audiamus Baumeisterum i. v. Seewesen p. 1616: *Wie der Säbel an dem Koppelriemen hängt,*

so dienten die Sorgleinen dazu das Ruder in richtiger Höhe zu halten und nötigenfalls aus dem Wasser zu hissen. Diese schon von den Aegyptern gebrauchte Taue liefen vom Bord zur Innerseite des Ruderherzes herab und durch Löcher im Blatt um seine Ausserseite herum. Confert Act. Apost. 27. 40 καὶ τὰς ἀγκύρας περιελόντες εἴων εἰς τὴν θαλάσσαν, ἅμα ἀνέντες τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων. Accuratius noster adhibuit verbum παρακαθιέναι quod ab utroque latere (παρά) gubernacula loris demissa in mare (κατά) incidunt.

Ante Euripidem nemo hoc verbo usus esse videtur; postea apud Aristotelem eodem sensu invenitur.

§ 4. παρά — insuper.

παρεμπολᾶν.

Cum composita, quae enumeravimus, indicare possint aliquid ad latus vel iuxta aliquem ope actionis verbo expressae adesse, admodum lenis transitus est ad ea composita, quorum ope dicitur aliquid adesse iuxta aliquem aut aliquid, quod e priore actione natum est, quae actio similis (a) aut dissimilis (b) novae actioni compositi verbi est.

a. Sic παρεγγράφειν τι est *adscribere aliquid, ut adsit iuxta aliquid quod iam antea* ἐγγέγραπται (Plat. Legg. VI. 753 B.)

b. Apud Euripidem in uno verbo praepositio παρά sic adhibetur: παρεμπολᾶν. Medea 909 sq. εἰκὸς γὰρ ὀργὰς θῆλυ ποιεῖσθαι γένος, || γάμους παρεμπολῶντος ἀλλοίους, πόσει — *consentaneum est iras femineum genus attollere in maritum, si alienas nuptias insuper contrahit.* παρεμπολᾶν non est: *iterum emere*, sed *emendo acquirere aliquid iuxta aliquam rem, quae adest.*

Quod ad dativum *πόσει* post genitivum *παρεμπολῶντος* attinet, conferamus Xenoph. Anab. I. 2. 17 *θᾶττον προϊόντων σὺν κραυγῇ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου δρόμος ἐγένετο τοῖς στρατιώταις*; vide etiam Troad. 75 sq. Cum nostro loco aptissime convenit Soph. Trach. 537 *κορὴν παρεισδέδεγμαι φόρτον ὥστε ναυτίλος.* Sic Deianira loquitur, quum Iole in domum eius venit. Iolen enim ut paelicem iuxta se, uxorem Herculis, accepit.

Alii scriptores, quantum scio, hoc verbo usi non sunt.

CAPUT II.

Praepositio παρά indicat actionem verbo expressam praeter aliquam personam aut rem fieri.

παρέρχεσθαι. (παρελθεῖν).

Praecedentibus locis παρὰ praeditum notione *iuxta* videmus. Interdum autem cum verbis motum designantibus compositum, ut iam obiter animadvertimus ad verbum παραφέρειν (cf. p. 30, 31.) *praeter* significare potest, si persona vel res iuxta quam motus fit, suo loco manet neque una cum agenti persona vel re movetur. Actio verbi non solum iuxta aliquem vel aliquid fit sed continuatur persona vel re praetermissa.

Simplicissimum exemplum huius usus praebet verbum παρέρχεσθαι quod tamen proprio sensu praetereundi apud Euripidem non occurrit. (De altera locali notione vid. c. V.).

1. Localis usus.

Significationis mere localis optimum exemplum habemus apud Homerum Iliad. VIII. 238 sq. τεὸν περικαλλέα βωμὸν || νηὶ πολυκλήϊδι παρελθέμεν.

2. Translatus usus.

a. neglegere.

Ex locali notione translatio oritur, quae invenitur Suppl. 229 sqq. ἐς δὲ στρατείαν πάντας Ἀργείους ἄγων, || μάντεων λεγόντων

θέσφατ', εἶτ' ἀτιμάσας || βίᾳ παρελθὼν θεοὺς ἀπώλεσας πόλιν — in expeditionem ducens omnes Argivos, cum vates oracula dicerent, tu deinde haec contemnens per vim deis praeteritis, perdidisti civitatem. Nonnullis editoribus displicent verba *βίᾳ παρελθὼν θεούς*. Mihi quidem ita explicanda videntur: *deorum oracula neglegens, cum bellum gereres.* Ipso bello neglexit oracula, quae bellum dissuadebant. Neque cum verbis *παρελθὼν θεούς* tantum, sed cum *ἀπώλεσας πόλιν* quoque coniungendum est *βίᾳ*.

Abstractum nomen apponitur Iph. Taur. 753 *ἄκουε δή νυν ὃν παρήλθομεν λόγον — audi ergo verba quae praeterivimus.* Hermannus defendit lectionem codicum *δὴ νῦν* adnotans: *Nihil concluditur ex praegressis, sed hoc dicit: audi iam nunc, quod neglexímus.* Immo, optima conclusio. Praecedentibus verbis Iphigenia et Pylades sese iure iurando obstrinxerunt, qua re confirmatus Pylades dicit: *ergo, quoniam tibi confidere possum, pergam eloqui, quae praeterii.*

b. Temporalis notio uno loco apud nostrum invenitur Androm. 404 sq. *πρὸς τί χρὴ βλέπειν; || πρὸς τὰς παρούσας ἢ παρελθούσας τύχας; — ad quid debeo respicere? ad praesentem an praeteritam fortunam?* Absolute ponitur *παρελθούσας*; mente tamen supplere possumus *ἐμέ*.

c. Latere.

Praeterire aliquem callide possumus, ne conspiciamur. Tunc magis cogitatur de persona vel re quae praeteritur quam de praetereunti persona.

Hoc sensu *παρελθεῖν* adhibetur Alcest. 695 sq. *καὶ ζῇς παρελθὼν τὴν πεπρωμένην τύχην || ταύτην κατακτάς — et vivis fatalem sortem evadens, hac occisa.* Stephanus *παρελθὼν τὴν πεπρωμένην τύχην* vertit: *ultra fatalem diem vivens* et *παρελ-*

θεῖν — *excedere, transgredi* significare vult. Hoc si verum esset, τύχη nostro loco *tempus vel spatium vitae* indicaret; nequiquam autem apud eundem Stephanum huius notionis exempla quaesivi.

παρελθεῖν τὴν τύχην est *ita praeterire fatum, ut lateamus.* τύχη quodammodo quasi persona accipienda est. cf. Aesch. Prometh. 518 οὔκουν ἂν ἐκφύγοι γε τὴν πεπρωμένην. παρελθεῖν praeditum sensu latendi apud alios quoque non insolitum est, Sophocl. Trach. 226 sq. οὐδέ μ' ὄμματος || φρουρὰν παρῆλθε, Plut. compar. Niciae et Crassi II ὅπερ ἡμᾶς ἐν τῇ διηγήσει παρελήλυθε.

d. Superare.

Deinde παρελθεῖν τινα — superare aliquem praetereundo. Orta est haec notio, cum personam quam praeterimus non suo loco manentem sed euntem, tardius tamen, fingimus. Iterum localis usus apud nostrum abest. Homerus dilucidum exemplum nobis praebet in certamine equorum, Iliad. XXIII. 345 οὐκ ἔσθ', ὅς κέ σ' ἕλῃσι μετάλμενος οὐδὲ παρέλθῃ — *non erit qui te assequatur insecutus neque praetereat.*

Translate legitur Androm. 229 sq. μὴ τὴν τεκοῦσαν τῇ φιλανδρίᾳ γύναι || ζήτει παρελθεῖν — *noli conari, mulier, matrem tuam amore virorum superare.* Bacch. 905 sq. ἕτερα δ' ἕτερος ἕτερον || ὄλβῳ καὶ δυνάμει παρῆλθεν — *alia ratione vero alius alium felicitate et potentia superat.*

παρατρέχειν. (παραδραμεῖν).

Verbum παρατρέχειν eodem modo adhibetur atque παρέρχεσθαι nisi quod idem discrimen manet inter composita quod inter simplicia τρέχειν *(currere)* et ἰέναι *(ire)* iam exstat, quatenus locali sensu usurpantur.

Apud nostrum uno loco translate adhibetur. Herc. Fur. 1020

τὰ δ' ὑπερέβαλε, παρέδραμε τὰ τότε κακά — *haec vero superant, praeterierunt ista vetera mala.* Recte plerique editores legunt τὰ δ' ὑπερέβαλε, quamquam codices habent τάδ'; requiritur enim particula δέ post μέν (vs. 1018). τά autem *haec* significare apud tragicos quoque posse, docet nos Ellendtius: (lexicon Sophocleum II. p. 197 i. v.) *Antiquissimae significationis, quam pronominis demonstrativi constat fuisse, ut hunc et illum significaret, sat multa apud tragicos documenta exstant.*

παραβαίνειν.

a. Ire a latere alicuius.

Huius usus apud nostrum nullum exemplum adest. Apud Homerum e. g. sic invenitur Iliad. XI. 522 Ἕκτορι παρβεβαώς.

b. Praeterire. Localis usus evanuisse videtur. Translate duobus modis adhibetur.

1. Consulto praeterire aliquid, neglegere.

Aesch. Ctesiph. 204 οὐ τοὺς νόμους μόνον παραβέβηκεν, ἀλλὰ καὶ τὸν καιρόν. Hic usus paullatim in deterius abit. Si legem neglegimus, fieri non potest quin aliquando legem violemus. Unde sequitur hac quoque notione violandi παραβαίνειν inveniri cum apud alios tum apud Euripidem, Ion 231 θεοῦ δὲ νόμον οὐ παραβαίνομεν — *deum autem ritum non violamus.* cf. παρὰ νόμον — *contra legem* i. e. *praeterita, neglecta, violata lege.*

2. Praeterire, fallere aliquem.

Aliquod discrimen est inter 1 et 2. Nam ut iam ad verbum παρέρχεσθαι adnotavimus, duae actiones fiunt, si dicimus „παραβαίνω": 1° *praetereo*, 2° *lateo.* Secundo loco magis cogitatur de persona vel re quae praeteritur quam de praetereunti persona. Apud Euripidem hoc sensu semel, apud ceteros raro invenitur. Hecuba 704 οὐ με παρέβα φάσμα μελανόπτερον — *non me fugit spectrum atris alis praeditum.*

c. παραβαίνειν significare potest choreutarum actionem, quae vocatur παράβασις, cum ad spectatores comoediae chorus se convertit. (παραβαίνων πρὸς τὸ θέατρον) cf. Arist. Pax 735. Apud nostrum tamen, quod vix mireris, sic non adhibetur παραβαίνειν.

παράγειν.

Verbum παράγειν notione praeteragendi semel apud nostrum poetam invenitur. Ion 166 πάραγε πτέρυγας — *praeterage alas.* Cycnum templum Apollinis adire vetat Ion eumque iubet praetervolare. Transitive hoc sensu apud alios παράγειν occurrere non videtur. Neutraliter Polyb. V. 18. 4 οἱ Λακεδαιμόνιοι θεωροῦντες ἐκ τῆς πόλεως παραγοῦσαν τὴν δύναμιν. Ceterum de hoc verbo vid. p. 46.

παρακομίζειν.

Hic suum locum habere verbum παρακομίζειν docet nos Thucydides, VI. 44 παρεκομίζοντο τὴν Ἰταλίαν — *praetervehuntur oram Italiae.*

Apud Plutarchum usurpatur de rebus quae in triumpho praeter spectatores vehuntur, Lucull. 37 ἐν τῇ πομπῇ . . . νῆες ἑκατὸν καὶ δέκα ἅμα παρεκομίσθησαν. Sic Herc. Fur. 125 a nostro adhibetur de senibus, qui alii alios deducunt praeter spectatores: γέρων γέροντα παρακόμιζε — *senem senex deducito.* Hoc loco accedere sensus comitandi vel deducendi, ex praegressis versibus, quibus describitur imbecillitas senum, apparet. Item apud Xenophontem, Hellen I. 4. 7 πέμψαντες δὲ Ἀριοβαρζάνει παρακομίσαι αὐτοὺς ἐκέλευον· ὁ δὲ ἀπήγαγεν εἰς Κίον.

Alia notione apud eundem scriptorem occurrit Hellen V. 4. 61 καὶ ὁ μὲν σῖτος τοῖς Ἀθηναίοις οὕτω παρεκομίσθη i.e. *afferebatur.*

παραμείβειν.

Activa forma huius verbi apud recentiores tantum legitur nisi quod Soph. O. R 504 adest translata notione superandi: σοφίᾳ δ' ἂν σοφίαν παραμείψειεν ἀνήρ.

Medium propriam suam vim amisit; plerumque de mutatione loci, ut iam simplex *ἀμείβειν*, adhibetur, unde adeptum est sensum p r a e t e r e u n d i, p r a e t e r v e h e n d i, p r a e t e r f l u e n d i.

Apud Euripidem uno loco tantum legitur Iphig. Aul. 146 sqq. *λεῦσσε, φυλάσσων μή τίς σε λάθῃ || τροχαλοῖσιν ὄχοις παραμειψαμένη || παῖδα κομίζουσ' ἐνθάδ' ἀπήνη || Δαναῶν πρὸς ναῦς — circumspice, ne te lateat aliqua velocibus rotis praetervecta filiam meam portans huc rheda ad Danaorum naves.*

Herodotus aliique scriptores saepe usi sunt hoc composito de personis quae praetereunt, nec non de praeterfluentibus amnibus.

Translate de tempore praeterlabente Hesiod. Opera 411.

CAPUT III.

Praepositio παρά in compositione verborum indicat directionem motus a latere alicuius vel alicuius rei.

παρωθεῖν.

Separativam vim praepositionis παρά optime ostendit verbum παρωθεῖν — a latere repellere. Adhibetur de iis personis vel rebus, quarum nos taedet, quas abesse a nobis cupimus.

1. Localis usus.

Orestes 628 sq. τοσαῦτ' ἀκούσας ἴσθι, μηδὲ δυσσεβεῖς || ἕλῃ παρώσας εὐσεβεστέρους φίλους — *haec te audivisse memento, neque improbos amicos elige repudians pios.* Medium eodem sensu Heraclid. 236 sq. τρισσαί μ' ἀναγκάζουσι συννοίας ὁδοί, || Ἰόλαε, τοὺς σοὺς μὴ παρώσασθαι ξένους — *tres rationes cogitationis me commovent, Iolae, ne repellam hospites tuos.* Kirchhoffius ξένους mutavit in λόγους. Lectio codicum retinenda mihi videtur. Demophon Heraclidas hospites Iolai (τοὺς σούς) vocat, quod Iolaus eos tueatur. ξένοι autem sunt, ut ipse Iolaus dixit vs. 189: ξένοι γάρ ἐσμεν.

2. Translatus usus.

Sequantur tres loci ubi translate poeta noster hoc verbum adhibuit, notione repellendi e mente, e cogitationibus, contemnendi.

Androm. 29 sqq. ἐπεὶ δὲ τὴν Λακαίναν Ἑρμιόνην γαμεῖ || τοὐμὸν παρώσας δεσπότης δοῦλον λέχος || κακοῖς πρὸς αὐτῆς σχετλίοις ἐλαύνομαι — *postquam vero Lacaenam Hermionen duxit dominus, meum repudians servilem lectum, malis ab ipsa miseris exagitor*. De eadem re Electr. 1036 sqq. ὅταν δ', ὑπόντος τοῦδ', ἁμαρτάνῃ πόσις || τἄνδον παρώσας λέκτρα, μιμεῖσθαι θέλει || γυνὴ τὸν ἄνδρα — *sed cum hoc illis insideat, quando maritus peccat, domesticum respuens lectum, imitari vult mulier virum.*

Postremo παρωθεῖν apud nostrum legimus Troad. 661 sqq. κεἰ μὲν παρώσασ' Ἕκτορος φίλον κάρα || πρὸς τὸν παρόντα πόσιν ἀναπτύξω φρένα || κακὴ φανοῦμαι τῷ θανόντι — *et si repudiato Hectoris caro capito apud praesentem maritum explicabo animum, improba videbor erga mortuum.* — παρώσασ' Ἕκτορος φίλον κάρα significat: *repudians memoriam cari Hectoris, ut longe absit.* Unde sequitur παρωθεῖν ampliata notione etiam valere: *propellere.*

Separativa vis cum nostris Euripideis exemplis apparet tum apud Lucianum (Timon 14) qui παρωθεῖν cum genitivo coniunxit: παρωσάμενοί σε τῆς τιμῆς — *imperio te deturbantes.*

Dignum quod conferatur est verbum παραγκωνίζεσθαι quod apud eundem scriptorem legimus, Timon 54 προαρπάζων ὥσπερ ἰκτῖνος τὰ ὄψα καὶ τὸν πλήσιον παραγκωνιζόμενος i. e. *cubito a se repellens.*

παραλαμβάνειν.

In verbo παραλαμβάνειν praepositionem motum ab aliquo vel aliqua re designare praecipue usu ipsius verbi apparet. Dubitare possis in hoc verbo pertineatne notio praepositionis ad eum qui λαμβάνει an spectet personam a cuius latere proficiscitur τὸ λαμβανόμενον. Verbum παραλαμβάνειν autem esse: *accipere aliquid quod mihi ab aliquo traditur* ipse Euripides nos docet Orest. 552 sq. πατὴρ μὲν ἐφύτευσέν με, σὴ

δ' ἔτικτε παῖς || τὸ σπέρμ' ἄρουρα παραλαβοῦσ' ἄλλου πάρα — *pater quidem genuit me, tua vero peperit filia, semen tamquam ager accipiens ab alio*. Quo loco iterat praepositionem noster suo fere more. Nam, ita de hac re Mommsenus: *Um sich von der stockprosaïschen Natur derartiger Structuren zu überzeugen, braucht man nur einen Blick ins Corpus Inscriptionum zu werfen; die 40 tituli der Attischen Inschriften enthalten unter 300 Praepositionen 12 solcher Verbindungen. Wenn also Euripides über 100 solcher Fügungen hat, dürfen wir dies wohl als ein prosaïsches Element seines Stils betrachten*. (Beiträge zu der Lehre von den Griechischen Präpositionen, Excurs II. p. 763).

Iam supra in eodem libro Mommsenus hanc rem commemoravit (cf. p. 79), ubi indicavit εἰσελθεῖν εἰς, ἐνεῖναι ἐν, προσβλέπειν πρός tam frequenter apud nostrum occurrere. In praepositione παρά autem hoc uno loco (Orest. 553) iterationem apud Euripidem inveni. Addere tamen possumus e. g. ἐφέρπειν ἐπί (Alcest. 269) ἐφιέναι ἐπί (Medea 632) ἐπιβρέμειν ἐπί (Bacch. 151) ἐκβαίνειν ἐκ (Troad. 706) ἀποσπᾶν ἀπό (Troad. 612) ἀφέλκειν ἀπό (Hecuba 144) ἐγγράφειν ἐν (Suppl. 1202) προσπίπτειν πρός (Herc. Fur. 79) προσφέρειν πρός (Cycl. 176) ἀμφιτιθέναι ἀμφί (Iph. Aul. 1531) ἀμπίσχειν ἀμφί (Iph. Aul. 1438) διαπερᾶν διά (Androm. 1248) ἀντιτείνειν ἀντί (Medea 891) συμφεύγειν σύν (Heracl. 26).

Praepositiones ἀνά, κατά, μετά, περί, πρό, ὑπό, ὑπέρ apud Euripidem non iterantur.

Redeamus ad verbum παραλαμβάνειν, Ion 814 sqq. καὶ δῶμα καὶ σὴν παραλαβὼν παγκληρίαν || ἄλλης γυναικὸς παῖδας ἐκκαρπούμενος || λάθρᾳ πέφηνεν — *licet domum et tuam hereditatem accepisset, ex alia muliere pueros clam procreans deprehenditur*. Hoc loco praecipue cogitatur de persona a qua Xuthus accepit hereditatem. Hoc enim paedagogus Xutho exprobat, quod ex

alia muliere pueros genuerit, licet a Creusa hereditatem adeptus sit.

Postremo παραλαμβάνειν habemus Phoen. 1611 sq. παῖδας τ' ἀδελφοὺς ἔτεκον, οὓς ἀπώλεσα, || ἀρὰς παραλαβὼν Λαΐου καὶ παισὶ δούς — *filiosque fratres genui, quos perdidi, imprecationes Lai accipiens et dans liberis.* Cautius est iungere Λαΐου ἀρὰς neque Λαΐου παραλαβών; nusquam enim, quatenus scio, verbum παραλαμβάνειν cum solo genitivo construitur; scholiastes tamen adnotat: κατάρας παρὰ τοῦ Λαΐου λαβών.

Apud alios scriptores saepe legitur hoc compositum neque habet quod nos detineat quum raro a primaria notione accipiendi aberret.

παραιρεῖν. (παρελεῖν).

In composito παραιρεῖν praepositionem separativam vim habere vel ex eo apparet, quod plerumque adhibetur, si indicatur aliquid ex magna copia eximi vel summoveri. Sic usurpatur Hecub. 591 sq. τὸ δ' αὖ λίαν παρεῖλες ἀγγελθεῖσά μοι || γενναῖος — *nimis (ne gemam) hoc tu amovisti nunciata mihi generosa.* In praecedentibus dixit Hecuba fieri non posse quin lamentaretur sortem filiae. E magna copia autem doloris hoc exemit Polyxene, nimis ne gemat mater. Eodem modo compositum adhibetur Hippol. 1315 sqq. ἆρ' οἶσθα πατρὸς τρεῖς ἀρὰς ἔχων σαφεῖς; || ὧν τὴν μίαν παρεῖλες, ὦ κάκιστε σύ || ἐς παῖδα τὸν σόν — *num scis te tres imprecationes ratas habere patris? Quarum unam, tu pessime, avertisti in filium tuum.* — Paullo supra in eadem tragoedia legimus, 1104 sq. ἦ μέγα μοι τὰ θεῶν μελεδήμαθ', ὅταν φρένας ἔλθῃ || λύπας παραιρεῖ — *sane valde mihi deorum curae quando animo subeunt, dolores auferunt.* Hoc loco παραιρεῖν vix eodem modo quo ante explicare possumus. Magis tamen cogitatur locus a quo dolores auferuntur (ex animo meo) quam locus ad quem.

Ad hunc locum adnotat Valckenarius: παραινεῖ, *quod est in Codd. Florent. et Paris., vitiosum quidem, oriri tamen potuit ex alia lectione* παραίνυται *atque ad illam versus in anastrophe olim accommodari: activum certe* παραιρεῖ *raro reperietur.* Minus recte, ut videmus. Quater enim activum παραιρεῖν apud nostrum invenitur. Nihil mutandum igitur puto.

Dixit etiam poeta παραιρεῖσθαι τί τινος: Iphig. Taur. 24 sq. καὶ μ' Ὀδυσσέως τέχναι || μητρὸς παρείλοντ' ἐπὶ γάμοις Ἀχιλλέως — *et me Ulixis artes a matre abduxerunt quasi ad nuptias Achillis.* Sic apud Xenophontem aliosque adhibetur.

Omnibus hisce locis magis respicitur locus a quo quam locus ad quem. Eadem de hac re Rehdantzii opinio est qui in editione sua Demosthenis dicit: *Während in* παραδιδόναι *etc. der terminus ad quem überwiegt, finde ich den terminus a quo in* παραλαμβάνειν, παραιρεῖσθει etc. (Grammat.-lexikal: Index i. v. παρά).

Tandem παραιρεῖν legimus Heracl. 908 sqq. ἐπίσημα γάρ τοι || θεὸς παραγγέλλει || τῶν ἀδίκων παραιρῶν φρονήματος αἰεί — *illustre profecto deus hortamen dat hoc, improborum superbiam perpetuo minuens.* Wecklinius hoc loco legere vult παραιρῶν φρονήματ' ἐς αἰεί — *semel et prorsus auferens superbas cogitationes improborum.* Mihi quidem haec mutatio minime placet; iniustorum enim superbiam ne deus quidem uno ictu tollere valet; semper redibit haec superbia, quare optime dici potest παραιρῶν φρονήματος αἰεί — *semper aliquid de superbia demens.* Item genitivo usus est Thucydides III, 89 τοῦ φρουρίου τῶν Ἀθηναίων παρεῖλε — *ab Atheniensium castello partem abstraxit.* Euripides, ut supra vidimus, in hoc composito semper respicit locum a quo; ergo genitivum hoc loco retinendum et lectionem codicum conservandam esse cum Dindorfio puto.

Apud alios auctores παραιρεῖν eodem modo adhibetur; frequentius tamen media quam activa forma occurrit.

παραλύειν.

In composito *παραλύειν* perlucide remansit separativa vis praepositionis. Propria notione resolvendi apud Herodotum e. g. adest III. 136 de gubernaculis: *τὰ πηδάλια παρέλυσε τῶν Μηδικέων νεῶν*, de lorica apud Plutarchum, Anton. 76 *τὸν θώρακα παραλύων*.

Translata notione iam ab Herodoto usurpatur I. 149 *μία σφέων παρελύθη ὑπὸ Ἰώνων* — *una iis adempta est ab Ionibus Smyrna.* Sic cum genitivo qui optime illustrat separativam potestatem praepositionis duobus locis apud Euripidem invenitur, Alcest. 931 *πολλοὺς ἤδη παρέλυσε θάνατος δάμαρτος* — *multos iam mors ab uxore separavit.* Codices habent: *πολλοῖς ἤδη παρέλυσε θάνατος δάμαρτος*, uno Vaticano (B) excepto, qui praebet lectionem *δάμαρτας*. Tunc autem, si codicum lectionem recipimus, ex praecedentibus subaudiendum: *φιλίαν* et coniungendum est *θάνατος δάμαρτος*. Insolita constructio est *παραλύειν τί τινι*, neque Stephano placuit qui adnotat: *scribendum πολλούς cum Cantero;* quae correctio mihi quoque optima videtur.

Eodem modo a nostro usurpatur Androm. 304 sqq. *παρέλυσε δ' ἂν Ἑλλάδος ἀλγεινοὺς ‖ μόχθους οὓς ἀμφὶ Τροίαν ‖ δεκέτεις ἀλάληντο νέοι λόγχαις* — *amovisset autem a Graecis miseros labores quibus circa Troiam decem annos vagabantur iuvenes bello.*

Hic usus natus est ex locali notione solvendi aliquid ab aliquo, quae notio in verbo *παραλύειν* primaria fuit. Postea quum res magis spectabatur quam persona, dicere coeperunt *παραλύειν τινά τινος* — *solvere, liberare aliquem ab aliqua re.* Simul paullulum declinatur a primaria notione quum imprimis usurpetur ut indicetur aliquem ex aliqua conditione dimoveri, Herod. VI. 94 *Μαρδόνιον παραλύει τῆς στρατηγίης* VII. 38 *τῶν μοι παίδων ἕνα παράλυσον τῆς στρατηίης.* Ab Euripide uno

loco sic usurpatur, Alcest. 117 sqq. ἀλλ' οὐδὲ ναυκληρίαν || ἔσθ' ὅποι τις αἴας || στείλας ἢ Λυκίαν || εἴτ' ἐπὶ τὰς ἀνύδρους || 'Αμμωνιάδας ἕδρας || δυστάνου παραλύσαι || ψυχάν — *verum neque navem est quo terrarum aliquis mittens vel in Lyciam vel ad siccas Ammonis sedes huius miserae liberare possit animam.* Subaudiendus est ad παραλύσαι genitivus τῶν κακῶν vel tale quid. Hoc scholiastes quoque intellegit adnotans: τῆς δυστήνου τὴν ψυχὴν σώσειε καὶ παύσειε τῶν κακῶν. Quod attinet ad optativum παραλύσαι, causa mihi adesse non videtur cur cum Wecklinio mutemus lectionem codicum in παραλύσει. Optativus sine ἄν perinde adhibetur Prometh. 291 οὐκ ἔστιν ὅτῳ μείζονα μοῖραν νείμαιμ' ἢ σοι. Agam. 620 οὐκ ἔσθ' ὅπως λέξαιμι τὰ ψευδῆ καλά. Concedo multum interesse inter dictionem Aeschyleam et Euripideam. In choro tamen talem licentiam Euripidem quoque sibi dedisse puto.

παράγειν.

Verbum παράγειν semel apud nostrum adhibetur praeditum notione abducendi, Heraclid. 673 καὶ δὴ παρῆκται σφάγια τάξεων ἑκάς — *iam victimae procul ab ordinibus sunt abductae.* Hoc verbum, ut apud alios, saepius translate legitur sensu decipiendi, de quo infra dicemus (c. IV.).

παραιτεῖσθαι.

a. Verbum παραιτεῖσθαι hic suum locum habere vel ex eo intellegitur, quod cum genitivo personae construitur.

Legimus enim Medea 1151 sqq. οὐ μὴ δυσμενὴς ἔσῃ φίλοις || .... δέξῃ δὲ δῶρα καὶ παραιτήσῃ πατρὸς || φυγὰς ἀφεῖναι παισὶ τοῖσδ' ἐμὴν χάριν; — *ne inimica sis amicis, accipe vero munera et roga patrem ut exilium remittat liberis his in meam gra-*

otatu dignum est verbum παραιτεῖσθαι quatenus ex ɪpparet, hoc uno loco cum genitivo personae quae

exoratur coniungi. Apta quae conferantur verba sunt quae Rau de hac re fecit (Studien zur Griechischen und Lateinischen Grammatik, G. Curtius III. p. 92): *Cum saepissime apud optimos scriptores αἰτεῖν τι παρά τινος scriptum reperiamus* (Xenoph. Oecon. II. 15), *vix dubitari poterit quin etiam παραιτεῖσθαι τινος pro αἰτεῖσθαι παρά τινος dictum sit, quamquam, cum praepositio immobiliter quasi verbo affixa sit, non cum genitivo sed cum accusativo verbum coniungitur.* Quae verba nostro Euripideo loco corriguntur. Recte adnotat scholiastes ad Medeam 1151 sqq. παρὰ τοῦ πατρὸς αἰτήσει.

b. Omittitur casus personae quae exoratur apud nostrum Herc. Fur. 302 sq. ἤδη δ' ἐσῆλθε μ' εἰ παραιτησαίμεθα || Φυγὰς τέκνων τῶνδ' — *sed mihi iam venit in mentem si deprecando impetraremus exilium liberorum horum.* Quo loco Wecklinius τῶνδ', quae est lectio codicum, mutavit in τόνδ'; nulla necessitate. Luce clarius est neminem nisi Lycum exorare Megaram; praeterea παραιτεῖσθαι omissa persona quae exoratur apud Platonem quoque habemus, Critias 107 A οἶδα παραίτησιν Φιλότιμον μέλλων παραιτεῖσθαι.

c. Deinde ut apud alios, παραιτεῖσθαι apud Euripidem cum duobus accusativis invenitur Iphig. Aul. 685 σὲ δὲ παραιτοῦμαι τάδε — *te autem hoc oro.*

Huc usque locos contuli, ubi παραιτεῖσθαι significat orare ut aliquid a te (παρὰ σοῦ) ad me veniat, nunc autem videbimus Euripidem sicut alii fecerunt hoc verbum etiam adhibuisse ea notione qua Latine adhibetur verbum deprecari sc.: ut aliquid a me (παρ' ἐμοῦ) absit.

Hoc sensu praeditum παραιτεῖσθαι occurrit Heraclid. 1026 κτεῖν', οὐ παραιτοῦμαί σε — *occide, non deprecor te.* Qui usus optime illustratur loco Platonis Respubl. p. 387 παραιτησόμεθα

Ὅμηρόν τε καὶ τοὺς ἄλλους ποιητὰς μὴ χαλεπαίνειν. Sic nostro loco Euripidis ad παραιτοῦμαί σε mente supplendum est μὴ κτείνειν — i. e. *non deprecor a te, ne me occidas, ut occisio a me absit.*

Item reperitur verbum, sed omissa persona quae exoratur Rhesus 832 sq. κατά με γᾶς || ζῶντα πόρευσον· οὐ παραιτοῦμαι — *vivum me sub terram demitte; non deprecor.*

d. Intensior adest separativa vis praepositionis in hac compositione apud Lucianum, qui huic verbo adiungit genitivum loci, Abdicat. c. 13 παρῃτεῖτο τῆς οἰκίας, ibidem c. 19 ἀπωθεῖσθαι καὶ τῆς οἰκίας παραιτεῖσθαι.

παροιγνύναι.

Huc quoque trahi oportet verbum παροιγνύναι quod semel apud nostrum legitur.

παροιγνύναι et παρακλίνειν proprie nihil aliud est nisi dextrorsus aut sinistrorsus movere ianuam a poste. Quam ob rem παροιγνύναι *aperire ianuam* significat apud Aristophanem, Pax. 30: τηδὶ παροίξας τῆς θύρας — *sic paullulum aperiens ianuam*, ubi genitivus partitivus indicat non prorsus recludi ianuam. Eodem modo apud Herodotum III. 156 ὀλίγον τι παρακλίναντες τὴν ἑτέρην πύλην dicitur de semiaperta porta, quod designatur ope vocabuli ὀλίγον. Hisce duobus locis non necesse est verbis παροιγνύναι et παρακλίνειν attribui notionem paullulum aperiendi. Apud Euripidem tamen Iphig. Aul. 857 ut hanc notionem verbo attribuamus contextus requirit: τίς ὁ καλῶν πύλας παροίξας; ὡς τεταρβηκὼς καλεῖ — *quis me vocat paullulum apertis portis? ut perturbatus vocat!* Perspicuum enim est senem τεταρβηκότα non prorsus recludere portam, sed per semiapertam ianuam Achillem vocare. Puto verbum παροιγνύναι notionem paullulum aperiendi sumpsisse,

cum verbo ἀνοιγνύναι oppositum esset. Nam ἀνοιγνύναι significat prorsus aperire, recludere, quem sensum praepositio ἀνὰ confirmat. Ianua si aperitur, retroversus movetur a postibus quibus clausa innititur. Illa motio retroversa designatur praepositione ἀνά, ut illustratur Iliad. V. 751 ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος ἠδ' ἐπιθεῖναι. Quum autem illa motio retroversa non indicaretur praepositione παρά, verba παροιγνύναι et παρακλίνειν paulisper acceperunt notionem paullulum aperiendi.

Ceterum παροιγνύναι quatenus e Stephano coniici potest, apud alios scriptores non legitur.

Bicompositum παρανοιγνύναι post Demosthenem (advers. Aristogit. p. 778. 11) eodem sensu quo παροιγνύναι adhibetur.

παρεμβλέπειν.

Bicompositum παρεμβλέπειν — a latere aspicere — uno loco apud nostrum occurrit, Helena 1558 sqq. ἀλλ' ἐξεβρυχᾶτ' ὄμμ' ἀναστρέφων κύκλῳ || κυρτῶν τε νῶτα κἀς κέρας παρεμβλέπων || μὴ θιγγάνειν ἀπεῖργεν — *sed mugiebat, circum agitans oculos curvansque tergum et in cornua oblique tuens arcebat nos ne attingeremus*. Suspectum est verbum παρεμβλέπειν Nauckio aliisque. Nauckius coniecit θυμούμενος coll. Bacch. 743.

Apud alios παρεμβλέπειν re vera non invenitur. Maiorem vim habet quam παραβλέπειν — *limis oculis aspicere* (Aristoph. Vesp. 495, Ecclez. 497); ἐμβλέπειν τι enim est *intueri, aspicere aliquid*, βλέπειν autem raro (nisi addita praepositione) dicitur de intuenda aliqua re; multo saepius in universum adhibetur, sine accusativo obiecti. Quod apud Euripidem solum παρεμβλέπειν occurrit, multa exempla eius rei adsunt. Primus, ut videtur, noster usus est bicompositis sequentibus: παρεκτρέπειν (Suppl. 1111) (cf. p. 54) συνεκθνήσκειν (Cycl. 571) ἐξαπωθεῖν (Rhes. 811) ἐξαποξύνειν (Cycl. 456) διαμεθιέναι (Bacch. 627. 636)

ὑπεκλαμβάνειν (Herc. Fur. 998). Omnibus hisce locis quod ad contextum attinet, singulae praepositiones sufficiunt, quas adhibere potuit poeta levibus mutationibus, sed puto eas compositiones eum, nonnunquam metro coactum, formavisse ut maiorem vim adderent sententiae.

Verisimile non est Euripidem verbo παρεμβλέπειν usum esse, ne poneret παραβλέπειν (producto α); nam Helen. 60 ἔβλεπεν (producto ε), Phoeniss. 551 περιβλέπεσθαι (producto ι) dixit, quamquam postea reperimus perfectum βέβλεφα (correpto ε). Quod ad locutionem παρεμβλέπων εἰς κέρας attinet, recte vertit Jerram *glancing sidelong towards his horn as though meditating an attack.* Sicut pugil paratus ad pugnam modo pugnos suos modo adversarium intueri solet, haud secus taurus facit impetus meditans. Primum ὄμμ' ἀναστρέφει κύκλῳ, tum εἰς κέρας παρεμβλέπει. Ferox sane illius vultus est, quare saepe invenimus ταύρηδον βλέπειν (Arist. Ranae 804), ταυροῦσθαι (Medea 92). Ex his locutionibus Euripides novam constituit, Bacch. 743, εἰς κέρας θυμοῦσθαι — *irato vultu in cornu tueri.* Magis in promptu est e peculiari notione παρεμβλέπειν εἰς κέρας natam esse ampliorem locutionem θυμοῦσθαι εἰς κέρας quam hanc ex illa deductam esse.

Accedit quod βλέπειν εἴς τι usitatissima constructio est, θυμοῦσθαι εἴς τι hoc uno loco occurrit. Sane dicitur ὀργὴν ἔχειν εἴς τινα (Sophocl. Philoct. 1293), μηνίειν εἴς τινα (Oed. Col. 969), sed tunc diversa est vis praepositionis, quae Bacch. 743 non quadrat.

De separativa vi praepositionis παρά in verbo παριέναι vid. c. V.

CAPUT IV.

Praepositio παρά indicat motum quem verbum exprimit a vera via aberrare.

Paullatim e separativa vi praepositionis orta est notio a vera via, si in malam partem verbo alicui adiungitur. Sequantur verba, in quibus hanc vim praepositionem videre possimus.

παροίχεσθαι.

Apud Homerum hoc verbum significat praeterire, Iliad. IV. 272 Ἀτρεΐδης δὲ παρῴχετο γηθόσυνος κῆρ. Inde apud posteros hanc notionem servat praesertim de tempore: Herod. IX. 58 ὑπὸ τὴν παροιχομένην νύκτα, Xenoph. Hellen. I. 4. 17 παροιχομένων κακῶν αἴτιος.

In Aeschyli tragoedia Suppl. 748 peculiari sensu adhibetur: παροίχομαι φόβῳ — *perii prae timore.* Facile e priore notione praetereundi sensus pereundi natus esse potest; tempus enim quod praeteriit, periit. Praeterea melius mihi videtur vertere *perii* quam *pereo,* ut Schuetzius vult. Perfecti notio in talibus querelis saepe invenitur, ἀπόλωλα Soph. Philoct. 742. Ab aliis παροίχεσθαι notione pereundi adhibitum esse non video.

Separativa vis praepositionis perlucet in eadem tragoedia Aeschyli vs. 449 ἦ κάρτα νείκους τοῦδ' ἐγὼ παροίχομαι — *omnino vero ab hac lite ego abstineo manus.* Item scholiasten

locum accepisse puto, qui adnotat: *καὶ τοῦτο ποιῶν ἐκτὸς ἔσομαι τοῦ νείκους θεοῖς ὑπηρετῶν. νεῖκος* bellum cum diis est quod evitare rex Argivorum studet; quare paullo ante dicit multum sacrificandum esse diis. Iterum Aeschylus solus hoc verbum sic usurpasse videtur.

Apud Euripidem uno loco *παροίχεσθαι* invenitur: Medea 995 *δύστανε, μοίρας ὅσον παροίχῃ* — *miser, quantum aberras a recta conscientia fortunae tuae*. Perperam scholiastes interpretatur *παροίχῃ: παρελθεῖν πεποίηκας*. Alter aliquanto rectius adnotat: *ὅσον τοῦ καθήκοντος ἐξέδραμες, ὡς μὴ συνιέναι ὅτι ἐπὶ φόνον τὰ τέκνα σου ἄγεις*. A fortuna vel *τοῦ καθήκοντος* ut dicit scholiastes, Iason non errat, sed a rectia notione fortunae suae. Nam quod Medeae morigeratur, haec *μοῖρα* Iasonis est. Ceterum *παρά*, ut praecedenti loco Aeschyli, sic nostro loco separativam vim habet. Simul tamen notionem a r e c t a v i a, quae genitivo *μοίρας* designatur, gravius confirmat praepositio.

Apud alios *παροίχεσθαι* hac significatione aberrandi non occurrere videtur.

παραπλάζειν.

Paullo intensius quam praegresso verbo notio aberrandi designatur verbo *παραπλάζεσθαι*.

Apud Homerum activum quoque reperitur proprio sensu, Odyss. IX. 81 *παρέπλαγξεν δὲ Κυθήρων*. Translate: Odyss. XX. 346 *παρέπλαγξεν δὲ νόημα* — *errare fecit eorum mentem*. Passivum habemus Iliad XV, 464 sq. *παρεπλάγχθη δέ οἱ ἄλλῃ || ἰὸς χαλκοβαρής*, locali notione.

Apud Euripidem uno loco tantum translate adhibitum adest hoc verbum Hippol. 240 *ποῖ παρεπλάγχθην γνώμας ἀγαθᾶς* — *quo aberravi a sana mente!*

Scriptores solutae orationis verbo *παραπλάζειν* non sunt usi, recentioribus nonnullis exceptis.

παράγειν.

Duas primarias significationes habet verbum παράγειν quarum utriusque apud nostrum exempla exstant.

a. ἄγειν παρὰ τόπον τινά — *ducere ad aliquem locum.* (vid. infra c. V.).

b. ἄγειν παρὰ τόπου τινός — *ducere ab aliquo loco.* (vid. supra c. III.).

Prioris usus sane vulgatior est, alteram notionem de loco usurpatam apud Euripidem solum l. l. inveni, saepissime tamen occurrit translate, accedente sensu d e r e c t a v i a. Huius fallendi notionis non solum apud tragicos sed etiam apud scriptores solutae orationis multa exempla adsunt e. g. Thucyd. II. 64 μήτε ὑπὸ τῶν τοιῶνδε πολιτῶν παράγεσθε, Platon. Rep. II. 383 B μήτε ἡμᾶς ψεύδεσι παράγειν ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ.

Nulla causa ergo est cur mutet Blomfieldius Eurip. Suppl. 233 παραχθείς in ταραχθείς. Optime Adrastus seductus esse dicitur ab iuvenibus ut bellum susciperet: ἀπώλεσας πόλιν νέοις παραχθείς — *perdidisti civitatem a iuvenibus seductus.*

Eodem modo Iphig. Taur. 478 noster hoc verbo usus est: ἡ γὰρ τύχη παρήγαγ' ἐς τὸ δυσμαθές — *fortuna enim haec abduxit in res cognitu difficiles.* Haud sine acerbitate Iphigenia dicit omnia quae ad deos pertineant obscura esse hominibus; παράγειν ergo in malam partem accipiendum; *a luce veritatis in obscuritatem abducere.*

Ceterum de hoc verbo vide supra p. 38.

παραλλάττειν.

Verbum παραλλάττειν ut παραμείβεσθαι (vide p. 38, 39.) saepissime adhibetur de loco mutando:

1. ἀλλάττειν (τόπον) παρά τινα.
2. ἀλλάττειν (τόπον) παρά τινος.

Ex priore sensu nata est notio praetereundi, cf. Xenoph. Hellen. V. 1. 12 ἐπεὶ δὲ παρήλλαξαν τὴν ἐνέδραν.

Altera significatio fere semper translate reperitur. Unus exstat locus apud Herodotum ubi propria vi adhibetur: ὀλίγον τῆς χώρης παραλλάξαντες — *paullulum a loco aberrantes.*

Translate adhibita notio abscedendi abiit in sensum discrepandi, differendi e. g. Plat. Legg. XII. 957 *b* ὅσα παραλλάττει τῶν ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι δικαίων.

Denique saepe occurrit παραλλάττειν — *aberrare a vera via,* Plat. Theaet. 194 *a* οἷον τοξότην φαῦλον ἱέντα, παραλλάξαι τοῦ σκοποῦ καὶ ἁμαρτεῖν. Plerumque de eo qui a sana mente aberravit, absolute Plat. Tim. 27 *c* εἰ μὴ παντάπασι παραλλάττομεν. Sic apud nostrum quoque, qui semel usus est hoc verbo, Hippol. 934 sq. σοὶ γὰρ ἐκπλήσσουσί με || λόγοι παραλλάσσοντες ἔξεδροι φρενῶν — *tua enim verba percellunt me, aberrantia atque remota a sana mente.* Genitivus φρενῶν non solum cum ἔξεδροι sed etiam cum παραλλάσσοντες coniungendum esse praecedentia exempla nos docent.

παρεκτρέπειν.

Supplic. 1110 sq. βροτοῖσι καὶ ποτοῖσι καὶ μαγεύμασι || παρεκτρέποντες ὀχετὸν ὥστε μὴ θανεῖν — *esculentis et potionibus et magicis artibus avertentes vitae cursum ne moriantur.* Notatu dignum est Euripidem, ut videtur, hoc bicompositum formasse. Apud Herodotum παρατρέπειν habemus propria significatione, VII. 128 παρατρέψαντα ἑτέρῃ ἐς θάλασσαν τὸν ποταμόν; item apud Thucydidem I. 109. Verbum ἐκτρέπειν proprio sensu adhibet Thucydides V. 65, τὸ ὕδωρ ἐξέτρεπεν ἐς τὴν Μαντινικήν, translate iam Aeschylus, Agam. 1436 ἐκτρέψῃς κότον εἰς Ἑλένην. Ex his duobus verbis Euripides παρεκτρέπειν composuit. Hic quoque παρὰ indicat motionem de recta via: *avertere conantur vitae cursum ex eo alveo quem natura constituit.* Post Euri-

pidem, qui hoc uno loco παρεκτρέπειν usurpavit, legitur verbum apud Plutarchum aliosque, item in malam partem. Plutarch. Moral. p. 114 εἰς ἄπρακτα καὶ βαρβαρικὰ πένθη παρεκτρέπεσθαι.

παροχετεύειν.

Proxime praegresso verbo accedit παροχετεύειν quod idem poeta formavisse videtur, quamquam simplex ὀχετεύειν iam apud Aeschylum invenitur, translata notione Agam. 840 ὡς πρὸς οἶκον ὠχετεύετο φάτις, propria notione apud Herodotum II. 99 τὸν ποταμὸν ὀχετεῦσαι. Compositum adest Bacch. 479 τοῦτ' αὖ παρωχέτευσας εὖ κοὐδὲν λέγων — *hoc iterum declinasti recte et nihil dicens.* Praepositio παρά indicat Dionysum verba Penthei avertisse a recta via, qua vera invenire Pentheus cupit.

Propria sua vi de subducenda aqua verbo παροχετεύειν usus est Plutarchus, Themist. c. 31 ὑφῃρημένος τὸ ὕδωρ καὶ παροχετεύσας.

CAPUT V.

Praepositio παρά rectionem motus verbo expressi indicat, cuius finis praesentia alicuius personae vel rei est.

παρέρχεσθαι. (παριέναι). (παρελθεῖν).

Praepositionem παρά rectionem motus ad aliquem vel aliquid indicare imprimis apparet in composito παρέρχεσθαι i. e. ἔρχεσθαι ὥστε παρεῖναι. Eo sensu adhibitum cum praepositione ἔσω coniungitur Helen. 451 οὐκ, ἀλλ' ἔσω πάρειμι· καὶ σύ μοι πιθοῦ — *non (faciam), sed intrabo, et tu pare mihi.* Item Sophocl. Electr. 1337. Cum praepositione εἰς legitur Ion 228 et 229 πάριτε ἐς θυμέλας, ἐπὶ δ' ἀσφάκτοις || μήλοισι δόμων μὴ πάριτ' ἐς μυχόν — *introite in aream; nisi vero mactaveritis oves, nolite intrare in interiorem aedem.* In eadem tragoedia iterum cum praepositione εἰς occurrit vs. 1171 sq. παρελθὼν πρέσβυς ἐς μέσον πέδον || ἔστη — *senex progressus in medium solum constitit.* Extremus locus transitum facit ad eam usitatissimam notionem, qua saepissime scriptores Attici usi sunt hoc verbo, ut indicarent aliquem ad loquendum progredi, e. g. Thucyd. II. 59 παρελθὼν δὲ ἔλεξε τοιάδε.

Deinde hoc compositum cum solo accusativo construitur. Iam supra (p. 5 sqq.), cum de verbo παρεῖναι egimus, hunc usum accusativi quem valde amasse poeta noster videtur, notavimus. Hippol. 108 sq. χωρεῖτ', ὀπαδοί, καὶ παρελθόντες δόμους || σίτων

μέλεσθε — *ite, comites; et introgressi domum, cibos curate.* Item Medea 1137 sqq. ἐπεὶ τέκνων σῶν ἦλθε δίπτυχος γονὴ || σὺν πατρὶ καὶ παρῆλθε νυμφικοὺς δόμους || ἥσθημεν — *postquam liberorum tuorum advenit gemina suboles cum patre et ingressa est coniugales aedes, gavisi sumus.* In eadem fabula vs. 1205 ἄφνω παρελθὼν δῶμα προσπίτνει νεκρῷ — *subito ingressus conclave, irruit in mortuam.* Apte mutavit προσελθών in παρελθών Nauckius; molesta enim est iteratio eorundem compositorum; praeterea notionem ingrediendi exspectamus. προσελθεῖν δῶμα vero est *adire domum, non intrare;* Glauces corpus autem intus iacet.

Denique παρέρχεσθαι cum accusativo loci legimus Medea 1275 παρέλθω δόμους; — *ingrediar domum?* Haec constructio verbi παρέρχεσθαι cum accusativo loci, praesertim cum accusativis δόμους et δῶμα, Euripidi peculiaris videtur fuisse. Apud Sophoclem παραστείχειν sic usurpatum reperimus Antigon. 1255 δόμους παραστείχοντες. Ceterum de hoc composito vide quae supra diximus (p. 34 sqq.).

παράγειν.

Cum praecedenti verbo apte conferre possumus παράγειν quod Electr. 787 sqq. usurpatur notione introducendi: ἀλλ' ἴωμεν ἐς δόμους. || καὶ ταῦθ' ἅμ' ἠγόρευε καὶ χερὸς λαβὼν || παρῆγεν ἡμᾶς — *sed ingrediamur domum. Simulque haec dicebat et manu prehensa introducebat nos.* Item Sophocles Electr. 1383 παράγεται εἴσω στέγας.

Sed de hoc verbo vide p. 53.

παραπίπτειν.

Verbum παραπίπτειν semel apud nostrum tragicum occurrit Orest. 1174 sq. εἴ ποθεν ἄελπτος παραπέσοι σωτηρία || κτανοῦσι μὴ θανοῦσιν — *si alicunde insperata accederet salus necantibus*

nobis nec morientibus. Fere eodem sensu verbo προσπίπτειν utitur poeta Medea 225 ἐμοὶ δ' ἄελπτον πρᾶγμα προσπεσὸν τόδε || ψυχὴν διέφθαρκ'. Tamen interest aliquid inter προσπίπτειν et παραπίπτειν. Fere nunquam in compositione primitivam vim praepositionis παρά, qua indicatur actionem verbi ad latus aut a latere alicuius personae fieri, ita amittit, ut eam reperire nequeamus, πρός vero saepe designat motum adversus vel contra aliquem fieri. Sic παραπίπτειν proprie dicitur de re vel persona quae a latere nobis accidit, τὸ προσπεσόν autem ex adverso quoque nobis obvenit. Apte conferatur Iphig. Taur. 1229 ἐξίστασθε, μή τῳ προσπέσῃ μύσος τόδε. Conversa est constructio Troad. 291 sq. οἴχομαι ἁ τάλαινα, δυστυχεστάτῳ || προσέπεσον κλήρῳ — *perii misera, prolapsa sum in sortem miserrimam.* Unde sequitur προσπίπτειν persaepe adhiberi de personis quae ante ora nostra suppliciter in genua accidunt. Hanc notionem παραπίπτειν tamen numquam accepit.

Sicut noster habet σωτηρία παραπέσοι, Thucydides dicit σκοποῦντες καιρόν, εἴ τις παραπέσοι, IV. 23, eumque secutus est Xenophon, Hipparch. VII. 4, ὁπότε καιρὸς παραπέσοι.

Propria notione Herodotus verbo usus est VII. 87 κατὰ τύχην παραπεσοῦσα νηῦς.

Postea Polybius aliique historici saepe usurpaverunt hoc verbum.

παρεξιέναι. (παρεξελθεῖν).

In bicomposito παρεξιέναι praepositio παρά eandem vim habet: Phoeniss. 1248 sq. παρεξιόντες δ' ἄλλος ἄλλοθεν φίλων || λόγοις ἐθάρσυνον — *accedentes vero alii aliunde amicorum ex acie verbis adhortabantur.* Nostro loco utraque praepositio suam notionem habet; ἐξ indicat amicos ex acie progredi, παρά designat motionem ad fratres tendere, ut recte explicat scholiastes: ἐμβάλλοντες πρὸς αὐτούς.

Dissimilis est vis praepositionis nostrae in eodem verbo apud Homerum, Odyss. X. 573, ῥεῖα παρεξελθοῦσα. Loquitur poeta de Circe, quae facile Ulixem et socios latens praeterit. Hoc loco, sicut saepe apud alios, maiorem vim habet παρά praeditum notione praeter quam praepositio ἐξ. Translate apud Sophoclem Antig. 921 παρεξελθοῦσα δαιμόνων δίκην — *transgressa ius deorum*. Indicant praepositiones ab una parte (παρά) finem iuris excessisse (ἐξ) Antigonam.

παραβάλλειν.

Verbum παραβάλλειν hic suum locum habere vel ex eo apparet quod apud Theophrastum adhibetur de stercore quod arborum radicibus adiicitur, p. 449 ταῖς ἀμπέλοις κόπρον παραβάλλειν. Paullo aliter Plato media forma usus dicit fimum radicibus omnium plantarum vivacitatem afferre, Protag. 334 A: ἡ κόπρος πάντων τῶν φυτῶν ταῖς μὲν ῥίζαις ἀγαθὸν παραβαλλομένη. Ambobus hisce locis παραβάλλειν indicat aliquid ita βάλλειν ὥστε παρεῖναι τινι. Fimum tam arcte coniungitur cum radicibus ut vim emittere possit in arborem; eodem modo, si licet pulchra cum foedis comparare, in tragoedia παραβάλλειν ab Euripide usurpatur de cantu lugubri qui cum alieno coalescit, Iphig. Taur. 1094 sq. ἐγώ σοι παραβάλλομαι | θρήνους ἄπτερος ὄρνις i. e. ἐγὼ τοῖς σοῖς θρήνοις παραβάλλομαι τοὺς ἐμοὺς — *tuis cantibus admisceo luctum meum, ales sine alis.*

Ex hac notione aliae translatae ortae sunt:

a. Iuxta se iacere aliquid, ut de ea re ludatur, aleae committere, periculo obiicere. Media forma tunc adhibetur: Homer. Iliad IX. 322 ψυχὴν παραβαλλόμενος πολεμίζειν Thucyd. II. 44 παῖδας παραβαλλόμενοι (cf. παρατίθεσθαι quod eodem sensu apud Homerum invenitur Odyss. III. 74 ψυχὰς παρθέμενοι).

b. Iuxta aliquem vel aliquid iacere aliquid, ut ea comparentur; cum dativo: Herod. IV. 198 Ἀσίῃ παραβληθῆναι, cum praepositione iterata apud Platonem, Gorgias 475 E ἔλεγχος παρὰ τὸν ἔλεγχον παραβαλλόμενος, saepe cum praepositione πρός. Ex eo autem, quod praepositio cum accusativo iteratur, apparet παρά non solum spectare ad locum iuxta aliquem, sed etiam rectionem motus ad aliquem designare.

Animadvertendum est praepositio nostra in hac compositione, ut iam vidimus in verbis παρέρχεσθαι et παραπίπτειν, primitivam notionem minus quam in plerisque compositis solet, accurate servare, ita ut non solum spectet locum iuxta aliquem vel aliquid, sed etiam locum ante aliquem vel aliquid. Unde sequitur παραβάλλειν saepe de cibo adhiberi, qui animalibus obiicitur, passim apud Homerum e. g. Iliad V. 369 παρὰ δ' ἀμβρόσιον βάλεν εἶδαρ (ἵπποις).

Intransitive παραβάλλειν significat *accedere*, praesertim de navibus: παρέβαλε νηυσὶ τῇσι ἄριστα πλεούσῃσι Herod. VII. 179 ubi vide adnotationem Steinii, nec non *accidere*, ut παραπίπτειν e. g. Platon. Respubl. VI. 499 *b* τοῖς φιλοσόφοις ἀνάγκη τις ἐκ τύχης παραβάλῃ, ubi Bekkerus adnotationem Astii affert: *παραβάλλειν sensu neutro est: concurrere vel occurrere sive accedere. Igitur h. l. est: contingere, accidere.*

Tandem separativam vim praepositionis in hoc verbo habemus apud Aristophanem Equit. 173 παραβάλλειν τὸν ὀφθαλμὸν εἰς . . . *a latere oculos deflectere ad. . . .*

Intricatus locus est Androm. 284 sqq. ταὶ δ' ἐπεὶ ὑλόκομον νάπος ἤλυθον, || οὐρειᾶν πιδάκων || νίψαν τ' αἰγλᾶντα σώματα ῥοαῖς, || ἔβαν δὲ Πριαμίδαν, ὑπερ || βολαῖς λόγων δυσφόρων || παραβαλλόμεναι, Κύπρις εἷλε — *quae postquam venerunt ad saltus arboreos, fontiumque montanorum in aquis corpora abluerunt nitida, et ad Priamiden progressae sunt sermonum hostilium excessu*

(corpora i. e. venustatem corporum nitidorum) invicem comparantes, vicit Venus.

Hesychius hunc locum ut videtur respiciens ad παραβαλλόμεναι adnotat: ἐξαπατῶσαι, παρακατατιθέμεναι. Prior glossa e scholiis videtur nata esse. Scholiastes enim quidam adnotat: ἐπαγγελίαις λόγων βλαπτόντων αὐτὸν καὶ τὴν πόλιν αὐτοῦ ἀπατῶσαι καὶ ἐφελκόμεναι. Ex hoc scholio apparet Hesychium et scholiasten παραβαλλόμεναι hanc ob causam interpretatos esse ope participii ἐξαπατῶσαι, quod cogitaverunt de verbis qualia sunt: παραπείθειν, παραφέρειν (τὸν νοῦν, τὸν λόγον) i.e. *detorquere.* Hoc indicat glossa ἐφελκόμεναι. Hanc autem interpretationem eo minus commendari dixerim quod neque Euripides neque vero alius quisquam, quantum scio, ea vi verbum παραβάλλεσθαι adhibuit. Nam apud Herodotum, I. 108 μηδὲ ἐμέ τε παραβάλῃ, quae verba Dindorfius vertit: *neve me decipias,* non necesse est ut accipiamus hanc decipiendi notionem, cum optime vertere possimus: *neve me periculo obiectes.* Accedit quod nostro loco Euripideo ne cum sententia quidem versuum convenit notio fallendi, quandoquidem neque Iunonem neque Minervam insidias Paridi struxisse iure contendas.

Alterius explicationis Hesychii, παρακατατιθέμεναι, exemplum habemus in Aeschinis Ctesiphontea § 180 ubi παρακαταθέμενοι τὰ σώματα significat *committentes corpora periculis.* Haec notio nostro loco Euripideo non quadrat.

Melius convenit cum loci sententia interpretatio quae secundo loco in scholiis affertur, neglegenter ea quidem ut fieri assolet cum praecedente in unum connexa: ἐριστικοῖς (legit ille δυσφρόνων) λόγοις διαμαχόμεναι πρὸς ἀλλήλας καὶ οἷον παραβάλλουσαι τὰ κάλλη ἀλλήλων καὶ συγκρίνουσαι ἐν φιλονεικίᾳ.

Ad participium παραβαλλόμεναι ex praecedentibus verba σώματα αἰγλᾶντα trahenda puto et vertendum: *corpora nitida invicem comparantes.* Praeterea non legendum est δ' εὐφρόνων ut

facit Wecklinius, sed δυσφόρων, quod habet codex Palatinus (P.) Non enim blandis verbis contendunt deae, sed hostilibus dictis rixant. Haec interpretatio vel eo mihi videtur comprobari, quod sic intelligere possumus quare Venus vicisse dicatur. Nimirum illa dea in certamine pulchitudinis victoriam reportavit.

παριέναι.

1. Localis usus.

a. Quem ad modum verbum παραβάλλειν significare potest βάλλειν ὥστε παρεῖναι sic παριέναι saepe indicat ἱέναι ὥστε παρεῖναι. Cuius notionis luculenta exempla habemus apud nostrum tragicum, Supplic. 467 sq. ἐγὼ δ' ἀπαυδῶ πᾶς τε Καδμεῖος λεὼς || Ἄδραστον ἐς γῆν τήνδε μὴ παριέναι — *ego autem interdico et totus populus Thebanus, ne Adrastum in hanc terram admittas.* Item Heraclid. 153 sq. φέρ' ἀντίθες γάρ· τούσδε τ' ἐς γαῖαν παρεὶς || ἡμᾶς τ' ἐάσας ἐξάγειν, τί κερδανεῖς — *age subduc rationes; hosce admissos in terram tuam si siveris nos abducere, quid lucri facies?* Sic enim vertendum esse puto. Primum Copreus Eurysthei praeco Demophontem regem Atheniensium a sua parte stare facit et commoda enumerat quibus fruetur, si Heraclidas expulerit, cf. vs. 155 τὰ μὲν παρ' ἡμῶν τοιάδ' ἔστι σοι λαβεῖν. Tandem vs. 158 dicit quid faturum sit, si lamentationibus Heraclidarum emollitus fuerit Demophon. Imperativus ἀντίθες non ita accipiendus est ut statim comparentur τούσδε παρεὶς et ἡμᾶς τ' ἐάσας ἐξάγειν, sed versibus 153 et 154 introductionem Copreus orator sibi parat ad sequentia, ubi illas duas res quae opponuntur accuratius tractaturus est. (155 τὰ μὲν 158 ἢν δέ). Supervacanea est mutatio Jacobsii qui legere vult: τούσδ' ἀπ' ἐσχάρων ἀφείς. Tunc opponuntur: *si eos ab altaribus reppuleris* et *si me expelli iusseris.* Hoc autem non quadrat; nusquam enim dicit Copreus se putare Demophontem tam audacem fore ut se

expellat. Sed ipse minatur se rediturum et magna vi Demophontem oppressurum. Versu 250 Demophon non dicit se expulsurum esse Coprea, sed hortatur modo eum ut abeat: Σὺ δ' Ἄργος ἐλθὼν ταῦτα τ' Εὐρυσθεῖ φράσον.

b. Separativam vim praepositionis in verbo παριέναι indicat locus Aristophanis, Equit. 436 ubi usurpatur de fune veli qui remittitur: ἄθρει, καὶ τοῦ ποδὸς παρίει — *specta et veli pedem nonnihil laxa.* Recte adnotat Kockius: τοῦ ποδὸς (*näml.* τί) παριέναι — *die Schote nachlassen.* παριέναι τοῦ ποδός est *partem funis a se remittere.* Ea notio praepositionis apud Euripidem quoque servata est: Herc. Fur. 1204 sq. πάρες ἀπ' ὀμμάτων ‖ πέπλον, ἀπόδικε, ῥέθος ἀελίῳ δεῖξον — *abiice ab oculis vestem, reiice, ostende faciem soli.* Tamen iam hoc loco de motu ab aliquo non tam impense cogitatur; παριέναι, ut sequenti loco, fere nihil est nisi: *missum facere.* Ion 1207 sq. θνῄσκει δ' ἀπασπαίρουσα, φοινικοσκελεῖς ‖ χηλὰς παρεῖσα — *moritur palpitans, purpureos pedes dimittens.* Fortasse etiam hic separativa vis non plane evanuit, sed indicatur ope praepositionis pedes columbae a corpore haerere.

Tandem de moto ab aliquo παριέναι usurpatur Suppl. 1070 sq. καὶ δὴ παρεῖται σῶμα, σοὶ μὲν οὐ φίλως ‖ ἡμῖν δὲ καὶ τῷ συμπυρουμένῳ πόσει — *et iam remittitur corpus tibi quidem non gratum, nobis vero et marito simul combusto.* παριέναι hoc loco significat: *non amplius tenere.* Separativa vis conspicua est si παριέναι ita circumscribimus: *a parte personae quae disinit retinere aliquid remittere.* Herwerdenus secutus Marklandum legit καθεῖται. Demittendi sensus sane optime hoc loco quadrat. Tamen παρεῖται retinendum puto; facile enim intelligere possumus, cum Euadne summo in rogo stet, fieri non posse, quin, si corpus missum faciat, deorsum praecipitet. Quam ob rem non necesse est quicquam mutari.

2. Translatus usus.

a. Venimus ad translatum usum verbi παριέναι. Primum illos locos enumerabimus, ubi vis separativa praepositionis indicat aliquem abiicere a se affectum aliquem animi de industria, consilio, quum nondum sensus negligentia adest.

Iphig. Aul. 1609 λύπης δ' ἀφαίρει καὶ πόσει πάρες χόλον — *diminue dolorem et iram mariti gratia remitte.* Troades 650 τούτου παρεῖσα πόθον ἔμιμνον ἐν δόμοις — *hanc cupidinem abiiciens domi manebam.* Suppl. 111 λέγ' ἐκκαλύψας κρᾶτα καὶ παρεὶς γόον — *dic, retecto capite et omisso luctu.* Sic enim legendum cum Beckio. Perperam codices praebent lectionem: παρὲς γόον. Loqui non potest priusquam lugere desiit.

Extremum exemplum huius notionis praebet Cyclops 310 πάρες τὸ μάργον σῆς γνάθου — *omitte aviditatem tuae maxillae.*

b. Sequantur loci, ubi sensus negligentiae cuiusdam accessit ad notionem abiiciendi.

Iphig. Taur. 793 sq. δέχομαι· παρεὶς δὲ γραμμάτων διαπτυχὰς | τὴν ἡδόνην πρῶτ' οὐ λόγοις αἱρήσομαι — *accipio*; *sed omittens litteras plicatas voluptatem primum non verbis capiam.* Hoc loco propria notio abiiciendi adhuc perlucet. Prorsus translate sequentibus locis adhibetur verbum: Supplic. 184 sq. Πελοπίαν παρεὶς χθόνα || πῶς ταῖς 'Αθήναις τόνδε προστάσσεις πόνον — *Pelopia terra neglecta, quomodo Atheniensibus iniungis hunc laborem?* Alcest. 1033 αἰσχρὸν παρεῖναι κέρδος ἦν τόδ' εὐκλεές — *turpe fuit negligere hoc lucrum gloriosum.*

Tres loci sunt, ubi verbo παριέναι adiungitur neutrum adiectivi, ut designetur meditationem alicuius rei negligenter abiici, omitti. Hanc structuram Euripides adamasse videtur. (cf. supra Cycl. 310).

Iphig. Aul. 386 sqq. ἀλλ' ἐν ἀγκάλαις || εὐπρεπῆ γυναῖκα χρῄζεις τὸ λελογισμένον παρεὶς || καὶ τὸ καλόν, ἔχειν — *at tu in complexu formosam feminam, ratione comtempta et honestate, habere vis?* In eadem fabula vs. 1376 sq. legimus: τοῦτο δ' αὐτὸ βούλομαι || εὐκλεῶς πρᾶξαι παρεῖσα γ' ἐκποδὼν τὸ δυσγενές — *sed hoc ipsum gloriose volo facere procul omittens ignobilem animum.* Hermannus γ' mutat in τ', adnotans: *si haec rationis reddendae causa dicerentur,* παρεῖσα *sine particula dici debebat. At coniungenda sunt* εὐκλεῶς, παρεῖσα τε τὸ δυσγενές. Mihi quoque εὐκλεῶς et παρεῖσα γε τὸ δυσγενές coniungenda videntur, ita tamen ut opponantur hae notiones εὐκλεῶς et τὸ δυσγενές, *gloriose, saltem* (γε) *ignobilitatem omittens* i. e. *quantum saltem in me est evitans quidquid minus decorum honestumve videri potest, lacrimas dico, preces singultus, mortem obibo decore.* Haec est vis particulae γε. — Eodem modo παριέναι cum adiectivo adhibetur Alcest. 939 ἐγὼ δ' ὃν οὐ χρῆν ζῆν, παρεὶς τὸ μόρσιμον || λυπρὸν διάξω βίοτον — *ego vero quem non oportebat vivere, contemnens fatum tristem transigam vitam.*

Huc referendus est versus ex Troadibus 695 ἄφθογγός εἰμι καὶ παρεῖσ' ἐῶ στόμα — *elinguis sum et omitto edere vocem.* στόμα vocem significat atque loquendi facultatem, item ipsa quae quis edit verba. (cf. Sophocl. Oed. Col. 981 σοῦ γ' εἰς τόδ' ἐξελθόντος ἀνόσιον στόμα). παριέναι στόμα autem sic accipiendum esse puto, quasi omnia verba quae antea retinuit Hecuba, nunc amiserit. Eadem est vis praepositionis quam supra p. 63 vidimus ad Supplic. 1070 sqq. παριέναι significat: *a parte personae quae disinit retinere aliquid remittere.* Item παρεὶς ἐᾷ legitur Eurip. fragm. 187 τὰ μὲν κατ' οἴκους ἀμελίᾳ παρεὶς ἐᾷ. Verbum ἐᾶν in hac structura fere abundat; vertendum: *curam domesticarum rerum abiicit omissamqne nunquam respicit.* Sophocles quoque hac locutione usus est, Oed. Colon. 363 τὰ μὲν παθήματα .... παρεῖσ' ἐάσω. Neque

cum participio *παρείς* tantum coniunxit *ἐᾶν*, sed etiam habet *ἀφεὶς ἐᾶν* Aiax 754 sq. *εἶρξαι κατ' ἦμαρ τοὐμφανὲς τὸ νῦν τόδε || Αἴανθ' ὑπὸ σκηναῖσι, μηδ' ἀφέντ' ἐᾶν.*

Medium notione negligendi uno loco apud nostrum occurrit: Herc. Fur. 779 *νόμον παρέμενος, ἀνομίᾳ χάριν διδοὺς || ἔθραυσεν ὄλβου κελαινὸν ἅρμα* — *lege contempta, iniquitati quum indulsit, fregit nigrum currum felicitatis.* Medium hac notione praeditum apud recentiores tantum invenitur: Dio Cassius 43. 14 *τὰ μὲν ἄλλα παρήκατο, ταῦτα δὲ προσεδέξατο.*

c. Ex notione negligendi paullatim alius usus natus est quo indicatur propter lassitudinem, morbum vel tale quid se ipsum missum facere, nihil curare. Activum uno loco sic usurpatur ab Euripide, Ion 745 *ὀρθῶς ἔλεξας· ἀλλὰ μὴ παρῇς κόπῳ* — *recte dixisti; sed ne remiseris lassitudine.* Ad *παρῇς* subaudiendum *σεαυτόν* neque tamen vertendum est: *noli te dedere lassitudini.* *κόπῳ* enim dativus instrumentalis est, ut apparet Bacch. 634 sq. *κόπου δ' ὕπο || διαμεθεὶς ξίφος παρεῖται* — *prae fatigatione dimisso gladio solutus languet.* Perfectum passivum persaepe sic adhibetur: Phoeniss. 853 sq. *κόπῳ παρεῖμαι γοῦν Ἐρεχθειδῶν ἄπο || δεῦρ' ἐκκομισθεὶς τῆς πάροιθεν ἡμέρας* — *labore saltem languidus sum, a terra Erechthidarum huc deductus superiore die.* Porsonus legit *γοῦν'* collato scholiasta: *ἐκλέλυμαι τὰ γόνατα τῷ κόπῳ*; nulla necessitate. Recte enim se habet particula *γοῦν*. In praegressis Creon adhortatur Tiresiam ut spiritum colligat. *Recte hoc dicit,* secum cogitat Tiresias, *languidus saltem sum.*

Participium perfecti passivi usitatissimum est apud nostrum hoc sensu: Bacch. 683 *ηὗδον δὲ πᾶσαι σώμασιν παρειμέναι* — *et dormiebant omnes corpore solutae.* Dativus *σώμασι* eodem modo adhibetur apud Xenophontem Comment. II. 7. 7. *τοῖς σώμασιν ἰσχύειν.* (cf. Kühner—Blass, Griech. Grammat. II. 1.

p. 440) Cycl. 591 sq. τῷ δ' ὕπνῳ παρειμένος || τάχ' ἐξ ἀναιδοῦς φάρυγος ὠθήσει κρέα — *somno autem resolutus cito ex tetris faucibus eiiciet carnes.* Orest. 881 τὸν μὲν κατηφῆ καὶ παρειμένον νόσῳ — *hunc tristem et languidum morbo.* In eadem fabula vs. 210 οὐ γάρ μ' ἀρέσκει τῷ λίαν παρειμένῳ — *non enim mihi placet nimia remissione.* Recte scholiastes adnotat: τῷ λίαν παρειμένῳ ἤτοι κατὰ τὸ λίαν παρειμένον καὶ ἐκλελυμένον — *quod attinet ad languorem.* Neutrius generis τῷ παρειμένῳ est.

Alcest. 204 sqq. παρειμένη δέ, χειρὸς ἄθλιον βάρος, || ὅμως δὲ καίπερ σμικρὸν ἐμπνέουσ' ἔτι || βλέψαι πρὸς αὐγὰς βούλεται τὰς ἡλίου· — *languida ut est, miserum onus bracchiis mariti, tamen cupit etiamsi vix spiritum trahit, intueri lumen solis.* Post 204 unum versum excidisse coniecit Elmsley, quem secutus est Wecklinius. Scholiastes adnotat: τὴν ἰσχὺν τῆς χειρὸς παραλελυμένη. Sed non manibus tantum languet Alcestis, verum toto corpore, neque puto verba χειρὸς ἄθλιον βάρος sic accipienda esse. παρειμένη significat *languida* ut Orest. 881; νόσῳ non addit poeta, cum in praecedenti versu hoc iam dixerit. Recte se habent omnia, si verba χειρὸς ἄθλιον βάρος ad ipsam Alcestem referimus, quae bracchiis mariti vix sustinetur. Nulla ergo indicanda est lacuna.

Apud Sophoclem perfectum passivum tali notione non reperitur, apud Platonem Legg. XI. 931 D γήρᾳ παρειμένος, nec non apud ceteros auctores orationis solutae, quare hic usus sermoni prosaico propior videtur fuisse.

Pauca dicenda sunt de loco Medeae, vs. 892 sq. παριέμεσθα καὶ φάμεν κακῶς φρονεῖν || τότ', ἀλλ' ἄμεινον νῦν βεβούλευμαι τόδε — *concedimus et dicimus nos male sensisse tunc, sed nunc melius haec consideravi.* Haec significatio orta est a notione negligendi, quam supra illustravimus. παριέμεσθα est: *missum me facio, non iam me curo neque meam superbiam.* Opponitur praecedenti versu ἀντιτείνειν νήπια ἀντὶ νηπίων. Schoenius

aliique interpretes παριέμεσθα explicant collato loco Platonis, Apolog. I. 17. C τοῦτο ὑμῶν δέομαι καὶ παρίεμαι, ubi tamen sequitur paullo infra μήτε θαυμάζειν μήτε θορυβεῖν. Puto παρίεσθαι sic usurpatum idem valere atque Latinum *deprecari, ne quid fiat.* Plat. Republ. I. p. 348 B eodem modo adhibetur: πρὸς ταῦτα κακούργει καὶ συκοφάντει, εἴ τι δύνασαι· οὐδέν σου παρίεμαι i. e. ***minime a te deprecor, ne me vexes.*** οὐδὲν παραιτοῦμαι, οὐδὲν ἀποτρέπομαι adnotat Phrynichus (cf. Stephanus). Optima est nota Bekkeri ad hunc locum Platonis: *scilicet* ἵεμαι *est* peto, cupio *et cum praepositione* παρά (*quae ut Latinorum* de, *discessionem significat, ut in* παραχωρεῖν) *coniunctum avertendi aliquid studium denotat; hinc est Latinorum* deprecari.

Apud Sophoclem, Oed. Colon. 1666 sq. παρείμην eadem ratione explicandum est: εἰ δὲ μὴ δοκῶ φρονῶν λέγειν || οὐκ ἂν παρείμην οἷσι μὴ δοκῶ φρονεῖν — *haec si videar minus sana mente dicere, non deprecabor ab iis, quibus videor insanire (sc. ne stultum me habeant).*

Nostro loco Euripideo tamen, Medea 892, vix παριέμεσθα tali modo supplere possumus. Neque persona neque res quam deprecatur Medea, indicatur, quae tamen alterutra praecedentibus locis semper designatur. Accedit quod paullo supra (vs. 869) non deprecari aliquid Medea dicitur, sed orare: αἰτοῦμαί σε τῶν εἰρημένων συγγνώμον' εἶναι. Quam ob causam notio deprecandi infra non quadrat. Scholiastes utramque significationem conturbat: παυόμεθα, παραπεμπόμεθα, οἷον παραιτοῦμαι, συγχωρῶ.

d. Deinde παριέναι significare potest permittere, committere, concedere, tradere, cum non solum cogitatur de persona quae aliquid a se mittit, sed etiam de persona, ad quam aliquid mittitur.

Incipiamus a loco in fabula Troadum, vs. 693 ubi adhuc perlucet motus verbo expressus: παρεῖσαν αὑτοὺς κυμάτων δραμήμασιν — *permittunt se fluctuum cursibus.* Sensus neglegentiae hic quoque adest. Prorsus translate in eadem tragoedia vs. 655 sq. ᾔδη δ' ἁμὲ χρῆν νικᾶν πόσιν || κείνῳ τε νίκην ὧν ἐχρῆν παριέναι — *noram autem in quibus me oporteret vincere maritum et quorum illi convenireat victoriam concedere.* τὴν νίκην ἐᾶν adnotat scholiastes i. e. missam facere victoriam a me ad maritum. Phoeniss. 523 ὡς οὐ παρήσω τῷδε ἐμὴν τυραννίδα — *quippe non concedam huic meum imperium.* Alcest. 634 sq. infinitivus obiecti vice fungitur: σὺ δ' ἐκποδὼν στὰς καὶ παρεὶς ἄλλῳ θανεῖν || νέῳ γέρων ὤν, τόνδ' ἀποιμώζεις νεκρόν — *tu vero procul stans et alium mori sinens iuniorem cum sis senex, defles hanc mortuam.*

Saepissime cum infinitivo explicativo vel finali, de quo iam ad παρέχειν egimus, coniungitur. Phoeniss. 512 sqq. ταῖς γὰρ ἂν Θήβαις τόδε || γένοιτ' ὄνειδος εἰ Μυκηναίου δορὸς || Φόβῳ παρείην σκῆπτρα τἀμὰ τῷδε ἔχειν — *Thebis enim hoc fuerit probrum, si Mycenaeae hastae metu tradiderim sceptra mea huic tenenda.* Item Medea 1060 sq. ὅπως ἐχθροῖς ἐγὼ || παῖδας παρήσω τοὺς ἐμοὺς καθυβρίσαι — *quomodo inimicus ego filios tradam meos contumelia afficiendos.* In eadem fabula paullo infra vs. 1377 θάψαι νεκρούς μοι τούσδε καὶ κλαῦσαι πάρες — *sepelire mortuos mihi hos et lugere permitte.*

Hercul. Fur. 329 κόσμον πάρες μοι παισὶ προσθεῖναι νεκρῶν — *permitte mihi ut liberis ornatum addam mortuorum.* Cobetus προσθεῖναι mutat in περιθεῖναι, ob ingratam iterationem, suspicor, vs. 327 enim legimus χάριτι προσθεῖναι χάριν. Nihil tamen curat Euripides verbum quoddam aliquoties brevibus intervallis adhiberi, cf. Troad. 650—695 ubi quater usus est verbo παριέναι. Ceterum προσθεῖναι de ornatu apponendo iterum legitur Hippolyt. 630.

Accusativus cum infinitivo verbo παριέναι adiungitur Heraclid. 243 sq. εἰ γὰρ παρήσω τόνδε συλᾶσθαι βίᾳ || ξένου πρὸς ἀνδρὸς βωμόν — *si enim hanc aram vi spoliari ab homine peregrino permittam.*

Absolute usurpatum παριέναι occurrit Helena 1059 sq. καὶ δὴ παρεῖκεν· εἶτα πῶς ἄνευ νεὼς || σωθησόμεσθα κενοταφοῦντ' ἐμὸν δέμας; — *fac veniam dedisse: deinde quomodo sine navi salvi evademus condentes corpus meum cenotaphio?* Herwerdenus παρεῖκεν videtur accepisse pro imperfecto verbi παρείκειν; adnotat enim: *eodem errore apud Hesychium editur* τό γε ἧκον· *cui nuper restitui* εἶκον. Particulae καὶ δή tamen perfectum requirunt; sic adhibetur perfectum Medea 386 καὶ δὴ τεθνᾶσι. Aeschyl. Eumenid. 894 καὶ δὴ δέδεγμαι. Perfectum activum verbi παριέναι sane raro invenitur neque a Stephano commemoratur.

e. παριέναι praeditum sensu praetermittendi apud Euripidem non inveni, apud alios nonnunquam de tempore quod praetermittimus e.g. Herod. VII. 183 ἕνδεκα ἡμέρας παρέντες, Thucyd. IV. 27 καιρὸν παριέντας. Extremo loco sensus negligentiae accedit.

παρακαλεῖν.

a. Verbum παρακαλεῖν proprie valere καλεῖν ὥστε παρεῖναι apparet ex locutionibus παρακαλεῖν ἐπὶ δαῖτα etc. Bacchae 1247 ἐπὶ δαῖτα Θήβας τάσδε κἀμὲ παρακαλεῖς — *ad convivium Thebas hasce et me vocas.* Clare hoc loco παρά motum ad aliquid denotat.

Absolute occurrit Iphig. Aul. 356 κἀμὲ παρεκάλεις. τί δράσω; τίνα πόρον εὕρω πόθεν κ.τ.λ. — *et me arcessebas. Quid faciam? Quamnam viam inveniam? Unde?* etc. Perspicua est notio verbi, nempe καλεῖν ὥστε παρεῖναι.

b. T r a n s l a t e significat παρακαλεῖν incitare. Phoeniss. 1254 τάδ' ἠγόρευον παρακαλοῦντες ἐς μάχην — *haec dicebant incitantes ad certamen.* Xenoph. Oecon. III. 7. ἐπὶ ἔργον παρακαλεῖν. Sensus motionis restat; indicatur mentem vel animum alicuius incitari ut ad aliquid moveatur. Orest. 1584 τί χρῆμα δρᾶσαι; παρακαλεῖς γὰρ ἐς φόβον — *Quid facere? impellis enim (me) in terrorem.* Scholiastes: παρακινεῖς, non accuratissime nam non simpliciter affirmat Menelaus metum sibi moveri verbis Orestis, sed hoc dicit: *impellis me ut novi quid a te metuam, ut caveam te.* Iphig. Aul. 497 sq. σὺ δ' ὄμμα παῦσαι δακρύοις τέγγων τὸ σόν,|| ἀδελφέ, κἀμὲ παρακαλῶν ἐς δάκρυα — *tu vero desiste oculos tuos irrigare lacrimis, frater, cum et me provoces ad lacrimas.* Duobus postremis locis ironia quaedam adest, si animadvertimus discrimen inter vim alacrem et suscitantem verbi παρακαλεῖν, quod vulgo adhibetur ut incitetur aliquis ad laborem vel opus quoddam, et tristem timorem ac lacrimas. Apud alios auctores hoc verbum sic usurpatum non inveni.

Cum i n f i n i t i v o ut apud ceteros scriptores apud nostrum quoque reperitur: Cycl. 156 βαβαί, χορεῦσαι παρακαλεῖ μ' ὁ Βάκχιος — *papae! ad saltationem me invitat Bacchus.* Fere idem est usus quem supra illustravimus, παρακαλεῖν χορεῦσαι enim est παρακαλεῖν ἐς χόρευσιν. Subaudiendus infinitivus est Androm. 650 sq. ἥν χρῆν σ' ἐλαύνειν γῆν πρὸ γῆς Νείλου ῥοὰς || ὑπέρ τε Φᾶσιν κἀμὲ παρακαλεῖν ἀεί — *quam te oportebat expellere de terra in terram ultra Nili fluenta et ultra Phasin et me semper ad hoc adhortari.* Libri habent τήνδ' ὑπέρ quod Wecklinius mutavit in γῆν πρὸ γῆς collato, ut opinor, Aeschyl. Prometh. 682 μάστιγι θείᾳ γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι. Pronomen τήνδ' post relativum ἥν sane molestum est, sed violenta mutatio est Wecklinii; magis mihi placet coniectura Reiskii τῆλ' ὑπέρ. Alterum versum mire sollicit[illegible] propter

particulum ἀεί, de qua Hermannus haec adnotat: *nec puto id aliud esse quam additamentum metrici, quo versum expleret, quum excidisset* τοῦτο. Mihi tamen videtur adverbium ἀεί h. l. magnam vim addere sententiae neque tam tempus spectare quam in universum vertendum per *identidem, usque.* Herwerdenus (Appendix ad Helenam p. 86) dicit: *Suspectum* ἀεί, *quia Menelaus Spartae habitans et Peleus Thessaliam rarissime convenisse cogitandi sunt.* Haec autem cogitari opus non est; non convenisse cum Menelao, sed eum adhortari tantum Pelea dicit poeta. Adhortari vero etiam per nuntios potuit, ut secum Andromacham expelleret. Menelaum nec alium quemquam arcessivisse Pelea ob hanc causam fecit poeta, quod ille praeter ceteros Troianis infestus esset. Ad παρακαλεῖν e praecedenti versu facile supplere possumus ἐλαύνειν, cf. scholiastes κἀμὲ παρακαλεῖν ἀεί: ὥστε ἐκπέμπειν καὶ ἐκβάλλειν αὐτὴν ταυτῆς τῆς γῆς. Quam ob rem non opus est Hermanni coniectura τοῦτο.

Iphig. Aul. 409 εὖ δρῶν παρακάλει μ', ἀλλὰ μὴ λυπῶν ἐμέ — *bene faciens mone me, non vero dolore afficiens me.* E praegressis ἀλγεῖν τοῖς φίλοις ad παρακαλεῖν trahere possumus.

Uno loco apud Euripidem verbum παρακαλεῖν ita adhibetur ut primo saltem obtutu separativa vis praepositioni inesse videatur, Hecuba 587 sq. παρακαλεῖ μ' ἐκεῖθεν αὖ ‖ λύπη τις ἄλλη διάδοχος κακῶν κακοῖς — *advocat vero inde rursus moeror aliquis alius, excipiens mala malis additis.* Adverbium ἐκεῖθεν si arcte coniungas cum verbo, iam in promptu est ἐκεῖθεν παρακαλεῖ vertere: *inde avocat.* Nec tamen recte, ut mihi videtur. Licet enim per se quidem composito παρακαλεῖν hanc notionem avocandi inesse rationes grammaticae non vetent, usus minime huic interpretationi favet, quandoquidem neque usquam poeta noster ita verbo παρακαλεῖν usus est, neque quantum scio alius quis scriptor Graecus. Accedit

autem quod nostro loco multa aptius verbis λύπη παρακαλεῖ ἄλλη inter se coniunctis ita vertas: *inde alius me identidem dolor ad maerorem arcessit (ad se vocat).* Et recte ita Stephanus quoque locum interpretatur. Quod attinet ad verba διάδοχος κακῶν κακοῖς, nil opus est mutationibus quas Heathius aliique attulerunt; recte adnotat scholiastes: διαδεχομένη τὰ κακὰ τοῖς κακοῖς. cf. Aeschyl. Pers. 1035 δόσιν κακὰν κακῶν κακοῖς. Item dativus simul et genitivus adiectivo διάδοχος adiungitur Eurip. Supplic. 71 sq. ἀγὼν ὅδ' ἄλλος ἔρχεται γόων γόοις || διάδοχος, quo loco Wecklinius Valckenarium secutus recte legit γόων γόοις pro codicum lectione γόων γόων.

Fortasse erunt qui verbum παραδιδόναι hic suum locum habere putent. Mihi autem melius videbatur de hoc verbo infra p. 75 sqq. agere.

CAPUT VI.

Praepositio παρά trangressionem in alium locum denotat.

Venimus ad ea verba, in quibus quamquam cogitatur quoque de loco unde actio fit tamen maior vis cadìt in locum ad quem fit motio. In his compositionibus *παρά* saepe reddere possumus ope Latinorum praepositionis *trans.*

παραφέρειν.

Verbum *παραφέρειν* est:

a. *φέρειν τι ὥστε παρεῖναι.*

b. *φέρεῖν τι ὥστε παρεῖναι τινί.*

Propria notione apud nostrum tragicum non occurrit, apud scriptores solutae orationis saepissime e. g Xenoph. Cyrop. I. 3. 6. *πολλὰ αὐτῷ παραφέρειν θήρεια καὶ τῶν ἡμέρων*, de cibo apponendo.

Euripides translate verbo usus est Iphig. Aul. 981 *αἰσχύνομαι δὲ παραφέρουσ' οἰκτροὺς λόγους* — ***erubesco autem afferens miseranda verba.*** Phoeniss. 1139 sq. cum dativo: *παρῆν δ' ἑκάστου τῶνδε μοι θεάματα || ξύνθημα παρφέροντι ποίμεσιν λόχων* — ***licebat autem singula quoque mihi spectare tesseram afferenti ducibus ordinum.*** Notionem iuxta ferendi supra illustravimus (p. 30, 31), ubi de significatione praeterferendi etiam egimus quae apud nostrum non occurrit.

Alii scriptores verbo *παραφέρειν* nonnumquam usi sunt prae-

dito notione a latere ferendi, auferendi e.g. Xenoph. Cyneg. V. 27, cum genitivo, ἑκάστου παραφέρει τὴν ὄψιν — *a quoque oculos avertit.* Unde emanavit sensus a recta via ferendi, Platon. Phaedr. 265 B ἴσως μὲν ἀληθοῦς τινος ἐφαπτόμενοι· τάχα δ' ἂν καὶ ἄλλοσε παραφερόμενοι. De quo usu vide supra c. IV.

παραδιδόναι.

Verbum παραδιδόναι hic suum locum habere optime apparet primo quod afferemus exemplo. Ab Euripide fere omnibus modis quibus ceteri scriptores hoc verbo usi sunt, usurpatur:

1. de rebus concretis quas ex manibus nostris alicui tradimus. Bacch. 495 ἔπειτα θύρσον τόνδε παράδος ἐκ χεροῖν — *deinde thyrsum hunc trade ex manibus.* Perspicuum est hoc loco non solum motum ad aliquem sed etiam motum ab aliquo spectari quamquam in verbo παραδιδόναι fere semper maior vis cadit in motum ad aliquem Troad. 348 παράδος ἐμοὶ φῶς — *trade mihi facem.*

2. de personis.

a. de personis quas alicui committimus, interdum sequente infinitivo finali: Orestes 63 sq. ἣν γὰρ κατ' οἴκους ἔλιφ', ὅτ' ἐς Τροίαν ἔπλει || παρθένον ἐμῇ τε μητρὶ παρέδωκεν τρέφειν — *quam enim domi reliquit, quando ad Troiam navigabat virginem matrique meae tradidit alendam.* Iphig. Aul. 690 sq. ὅταν ἄλλοις δόμοις || παῖδας παραδιδῷ πολλὰ μοχθήσας πατήρ — *quando alienis aedibus tradit liberos quos multo labore educavit pater.*

b. de personis quas alicui dedimus in potestatem, Heraclid. 763 sqq. κακὸν δ' ὦ πόποι, εἰ ξένους || ἱκτῆρας παραδώσομεν || κελεύμασιν Ἄργους — *turpe fuerit, cives, si hos-*

pites supplices dedamus iussu Argorum. Negligentiae quaedam notio inest, quam ad verbum παριέναι quoque notavimus. Saepius cum dativo personae cui aliquem dedimus: Phoeniss. 1232 ἡσσωμένος δὲ τῷδε παραδώσω πόλιν — *victus vero huic dedam urbem.* Iph. Aul. 1278 Φεύγει σε πατὴρ Ἅιδῃ παραδούς — *fugit te pater tradens Plutoni.* Eodem modo de Alcestide legimus: Ἅιδῃ θάνατος παρέδωκε (Alcest. 871); Helena 225 sqq. διὰ δὲ πόλεας ἔρχεται || βάξις, ἅ σε βαρβάροισι || λέχεσι, πότνια, παραδίδωσι — *sed per Graeciae urbes vadit fama, quae te barbaro connubio, o veneranda, tradit.* λέχεσι i.e. πόσει, ut e sequenti versu apparet: ὁ δὲ σὸς πόσις.

Iam ad translatum usum venimus:

1. Simpliciter adhibetur παραδιδόναι de rebus adstractis quas alicui tradimus. Ion 690 sq. ἄτοπος ἄτοπα γὰρ παραδίδωσί μοι || τάδε θεοῦ φήμα — *mira enim haec mihi tradit oraculum mirum dei.* Maiorem vim habet praepositio hoc loco quam sequenti, versu Medeae 628 sqq. ἔρωτες ὑπὲρ μὲν ἄγαν || ἐλθόντες οὐκ εὐδοξίαν || οὐδ' ἀρετὰν παρέδωκαν ἀνδράσιν — *amores nimium quidem in modum ingruentes non bonam famam neque laudem dederunt viris.*

2. Translate παραδιδόναι usurpatur ut indicetur aliquid in potestatem alicuius dedi. Troad. 419 sq. sequente infinitivo finali: Ἀργεῖ' ὀνείδη καὶ Φρυγῶν ἐπαινέσεις || ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμ' — *convicia in Argivos et Phrygum laudes ventis ferenda trado.*

Notabilis usus est Phoen. 1392 sq. Πολυνείκης δ' ἀπήντησεν δορὶ || πληγὴν σιδήρῳ παραδοθεῖσαν εἰσιδών — *sed Polynices occurrit hasta plagam ferro traditam conspicatus.* Aliter Kinkelius mihi videtur locum accepisse qui adnotat: *Der Grieche fasste die Aussenwelt so lebhaft auf, dass er häufig directe Beziehungen statuirt, wo wir einen Umweg machen. Der Schlag ist ein directes Geschenk der Blösse an dem Speer.* Nimis

longe quaesita haec explicatio mihi videtur. Non puto indefensum locum hastae plagam dare, sed hastam nudo corpori ictum infligere. Sic apud Homerum e. g. de sagitta legimus: ὀιστὸς ἐπέγραψε χρόα φωτός (Iliad. IV. 139). Nostro Euripideo loco plane diversa metaphora adest. Neque verbo παραδιδόναι h. l. notionem munus dandi inesse video, neque nunc ictum indicari substantivo πληγήν concedo. πληγή ut recte scholiastes explicat τόπον δυνατὸν πληγῆναι significat, παραδοῦναι autem *prodere* est sive *nudare (exponere)*. Item verbum usurpatur a Dione Cassio LXII. 27 θαυμαστῷ τινι ἐγκλήματι παρεδόθη — *expositus est miro cuidam crimini.*

3. Restat usus cuius apud nostrum exempla non exstant, Herod. VII. 18 τοῦ θεοῦ παραδιδόντος — *deo facultatem dante;* apud ceteros historicos quoque haec notio invenitur.

παρεγγυᾶν.

Ad παραδιδόναι proxime accedit verbum παρεγγυᾶν, siquidem ἐγγυᾶν proprie significat: *in manibus ponere* (ἐν γυίοισιν τιθέναι). παρεγγυᾶν τί τινι ergo significat: *a latere alicui aliquid in manus dare.*

De rebus concretis hoc verbum adhibitum esse non video, de personis Herod. III. 8. τοῖσι φίλοισι παρεγγυᾷ τὸν ξεῖνον — *hospitem suis amicis tradit.* Hoc loco notio commendandi iam prodit. Apud Euripidem uno loco de re abstracta reperitur: Supplic. 700 sq. παρηγγύων || κελευσμὸν ἀλλήλοισι σὺν πολλῇ βοῇ — *mutuam adhortationem sibi tradebant magno cum clamore.* Non intellego cur Wecklinius κελευσμόν mutet in κελευμόν, quamquam codices habent κελευσμόν et idem editor Iphig. Aul. 1130 ex Canteri coniectura κελευσμοῦ dedit. Accedit quod Cycl. 653 scripserit κελευσμοῖς Wecklinius, cum codex Palatinus (P) praebeat lectionem κελευμοῖς.

Ceterum παρεγγυᾶν proprium verbum est de tessera

tradenda, praesertim apud Xenophontem (Cyrop. III. 3. 58.), quo usu vis praepositionis optime apparet. Dicitur enim de tessera quae ab alio (*παρά τινος*) ad alium (*παρά τινα*) traditur.

παραγγέλλειν.

In verbo *παραγγέλλειν* praepositio eandem vim habet quamquam plerumque magis cogitare videmur de loco ad quem actio verbo expressa tendit quam de loco a quo actio oritur.

De memoria tradenda posteris usurpatur Supplic. 1172 sq. *ἐκ τέκνων ἀεὶ τέκνοις || μνήμην παραγγέλλοντας ὧν ἐκύρσατε* — *semper filiis filiorum tradentes memoriam eorum quae adepti estis.* Huius notionis optimum exemplum habemus apud Xenophontem quoque, Cyrop. II. 4. 2. *ἐκέλευσε ταὐτὸ τοῦτο παραγγεῖλαι καὶ διὰ πάντων οὕτω παραδιδόναι ἐκέλευσεν. οἱ δὲ πειθόμενοι ταχὺ μὲν παρήγγελλον.*

Vulgo significat denuntiare, Heraclid. 907 *ἐπίσημα γάρ τοι θεὸς παραγγέλλει* — *illustre hoc enim deus denuntiat.* In eadem fabula paullo supra vs. 825 *Ἀθηναίων δ' ἄναξ στρατῷ παρήγγειλ' οἷα χρὴ τὸν εὐγενῆ* — *et Atheniensium rex denuntiavit exercitui qualia decet virum fortem.*

Saepissime de mandatis; cuius usus Euripides quoque exemplum praebet Rhes. 70 sq. *ἀλλ' ὡς τάχιστα χρὴ παραγγέλλειν στρατῷ || τεύχη πρόχειρα λαμβάνειν* — *at celerrime oportet indicere exercitui ut arma sumant in manus.*

Praeterea notatu dignae sunt locutiones quales sunt *παραγγέλλειν εἰς τὰ ὅπλα* apud Xenophontem in quibus praepositio directionem ad aliquid denotat. (cf. *παρακαλεῖν*).

παραινεῖν.

Ut dicitur *παραγγέλλειν τινί τι* sic saepissime invenimus *παραινεῖν τινί τι* i. e. *παραινέσει* transferre aliquid a se ad aliquem. Quid autem sit *παραίνεσις* facile intelligimus

loco Thucydideo, I. 92 ἐπὶ γνώμης παραινέσει τῷ δήμῳ — *um dem Volke eine Meinung anzurathen*, ut recte vertit Classenus. Eadem est vis praepositionis in hoc substantivo atque in composito παραινεῖν.

Euripides frequenter hoc verbo usus est:

1. Absolute usurpatur praeditum notione monendi Alcest. 1078 ῥᾷον παραινεῖν ἢ παθόντα καρτερεῖν — *facilius est monere quam dolentem sustinere.* Rhes. 339 σύ τ' εὖ παραινεῖς καὶ σὺ καιρίως σκοπεῖς — *tu recte mones et tu opportune rem consideras.*

2. Cum dativo personae eodem sensu apud nostrum adest Hercul. Fur. 847 sq. παραινέσαι δέ, πρὶν σφαλεῖσαν εἰσιδεῖν || Ἥρᾳ θέλω σοί τ', ἢν πίθησθ' ἐμοῖς λόγοις — *sed admonere, antequam errantem te videam Iunonem teque volo, si obtemperetis meis verbis.* Cyclops 313 παραινέσαι σοι βούλομαι — *monere te volo.*

3. Adiungitur accusativus rei: Hippol. 707 sq. καὶ τὰ πρὶν γὰρ οὐ καλῶς || παρῄνεσάς μοι — *nam et priora non recte admonuisti me.* Phoeniss. 460 παραινέσαι δὲ σφῷν τι βούλομαι σοφόν — *admonere vero vos aliquid sapiens volo.*

4. Saepissime infinitivus obiecti vice fungitur; transitum ad hunc usum habemus Heraclid. 1018 sq. παραινέσαι σοι σμικρόν, Ἀλκμήνη, θέλω || τὸν ἄνδρ' ἀφεῖναι τόνδ' ἐπεὶ δοκεῖ πόλει — *te parumper, o Alcmena, admonere volo, ut hunc virum dimittas, quando civitati hoc placet.* Hippolyt. 1435 καὶ σοὶ παραινῶ πατέρα μὴ στυγεῖν σέθεν — *et te adhortor ne odio prosequaris tuum patrem.* Hercul. Fur. 854 ὥστ' οὐ παραινῶ μεγάλα βούλεσθαι κακά — *ergo tibi suadeo, gravia mala ne cupias.* Codices habent σοί τ', quam lectionem Musgravius mutavit in ὥστ'. Miror quod non secutus sit Musgravium Wilamowitzius, cum adnotet: *Dass vor diesem verse einer ausgefallen ist, zeigt nicht nur das beziehungslose τε, sondern*

es musste neben Iris Hera bezeichnet werden wie jedesmal vorher, und es fehlt auch eine bezeichnung der folgerung. Quae argumenta omnia delet optima coniectura Musgravii; facile enim ad παραινῶ ex versu 848 σφῷν supplere possumus. Praeterea παραινεῖν eodem modo cum infinitivo legimus Androm. 1234, Iphig. Aul. 481, Suppl. 307.

Minus recta de hoc verbo quatenus ex Euripide apparet adnotatio est Porsoni ad Medeam 719 ἔπειτα παίδων ὧν ἐπαγγέλλῃ γονάς. Manus recentior codicis Laurentiani habet ὧν μ'. Quapropter Porsonus adnotat: ὧν μ' *edidit Brunckius quod pro* μοι *non amplius, credo, accipit. Si quis pro* με *acciperet, non multum refragarer, cum plura similia verba aliquando, licet rarius, accusativum pro dativo regant qualia sunt* εἰπεῖν, ἐπιστέλλειν, λέγειν, παραινεῖν. Ego quidem apud Euripidem nusquam accusativum personae verbo παραινεῖν adiunctum inveni.

Notatu digna videntur verba quae de hoc composito fecit Holmes: (Die mit Praepositionen zusammengesetzten Verben bei Thukydides p. 10) *Auch bei* παρά *giebt es keine Fälle, in denen das Kompositum in die Rechte des Simplex eintritt. Eine Ausnahme haben wir auch für* αἰνέω *nicht zu statuiren, obwohl es, wenn wir von zwei Platostellen absehen, in attischer Prosa nur in der Komposition sich findet, wie es auch bei Thukydides nur mit* παρά *nnd* ἐπί *(einmal mit* κατά*) verbunden ist. Denn die Sphären, in welchen sich der Gebrauch der einzelnen bewegt, sind durch den Bedeutungsunterschied scharf begrenzt.*

CAPUT VII.

Praepositio παρά transgressionem ab altera conditione in alteram designat.

Praecedentibus verbis vidimus παρά nonnumquam transgressionem obiecti ab altero loco in alterum denotare. Translate item indicare potest haec praepositio transgressionem ab altera conditione in alteram. Paullatim tamen prior pars huius notionis evanuit, cum maior vis caderet in alteram conditionem. Sequantur verba quibus hanc vim praepositionis adhuc deprendere possimus.

παραπείθειν.

Verbum παραπείθειν apud nostrum tragicum uno loco tantum occurrit: Suppl. 60 sq. παράπεισον δέ τεόν, λισσόμεθ', ἐλθεῖν || τέκνον — *persuade filio tuo, precamur, ut veniat.* Vis praepositionis perspicua est; πείθειν enim Aethram oportet filium ex conditione desidiae ad auxilii lationem.

Notum est hoc verbum ex Homero, qui non solum eodem modo (Odyss. XXII. 213), sed saepe cum accusativo personae tantum verbo usus est (Iliad. VII. 120).

Notio male persuadendi adest Platonis Legg. X p. 892 φυλάττωμεν δὴ παντάπασιν ἀπατηλὸν λόγον, μὴ ἡμᾶς παραπείσῃ. De quo usu vide infra c. VIII.

παροξύνειν.

Eadem est vis praepositionis παρά in verbo παροξύνειν quod semper translate adhibetur, sicut simplex ὀξύνειν. Indicat verbum παροξύνειν e quieta conditione ad aliquid faciendum exasperare aliquem. Prior notio *e quieta conditione* tamen evanuit, sicut iam vidimus in verbo παραπείθειν. Saepe cum praepositionibus ἐπί, πρός coniungitur e. g. Isocrat. Philipp. § 3 ἐπὶ πόλεμον ubi clare apparet vis praepositionis παρά. Nam παροξύνειν ἐπὶ πόλεμον est: *e conditione desidiae ad bellum incitare.*

Apud nostrum semel hoc verbum occurrit, Alcest. 674 πατρὸς δὲ μὴ παροξύνῃς φρένα — *patris vero ne exasperes mentem.* Maior vis cadit in verbalem partem compositi quam in praepositionem. Tamen e praecedentibus facile supplere aliquid possumus quo explicatur praepositio παρά. Praecedit enim vs. 673 ἅλις γὰρ ἡ παροῦσα συμφορά — *satis enim est praesens calamitas,* dixit chorus. Et tunc: *noli exasperare mentem patris,* sc. *ad aliam calamitatem.*

Apud Thucydidem aliosque auctores saepe hac notione verbum reperitur. Fere semper significat: *acerbum facere,* numquam *acerbiorem facere.*

παραθάλπειν.

Item mutationem conditionis cuiusdam designat παρά in verbo παραθάλπειν quod apud Euripidem solum inveni, qui semel hoc verbo usus est, Medea 143 sq. φίλων οὐδενὸς οὐδὲν || παραθαλπομένη φρένα μύθοις — *amicorum nullius quicquam lenita animum verbis.*

Minus recte Zeunius in adnotationibus suis ad librum Vigeri de praecipuis idiotismis Graecae dictionis p. 651 dicit: παρά *augendi vim affert v. c.* παραθερμαίνεσθαι — *ultra*

modum incalescere. In hoc verbo sicut in παραθάλπειν mutationem conditionis praepositio indicat.

παρευκηλεῖν.

Eadem est notio praepositionis in composito παρευκηλεῖν quod semel apud nostrum habemus: Hercul. Fur. 99 sq. δακρυρρόους τέκνων || πηγὰς ἀφαίρει καὶ παρευκήλει λόγοις — *lacrimosos liberorum fontes aufer et deleni (ipsos) verbis.* Apud alios scriptores hoc verbum occurrere non videtur.

παραμυθεῖσθαι.

Cum praecedentibus verbis comparandum est παραμυθεῖσθαι quamquam praepositionem in hoc verbo primitus aliam vim habuisse docet nos usus Homericus cum dativo, e. g. Iliad. IX. 417 sq. καὶ δέ κε τοῖσ' ἄλλοισιν ἐγὼ παραμυθησαίμην || οἴκαδ' ἀποπλείειν. Primaria notio praepositionis in hoc composito ut in verbo παράφημι est iuxta, postea tamen ad analogiam verborum παραπείθειν etc. transitivum factum est, praepositionis vi mutata. Hic transitus clare illustratur loco Platonis, ubi una cum verbo παραθαρρύνειν occurrit, Critias p. 108 D παραμυθουμένῳ δ' οὖν καὶ παραθαρρυνόντι σοι πειστέον. Verbum παραμυθεῖσθαι ergo adhibetur, si quem verbis e misera quadam conditione consolari vel adhortari ad aliquid volumus. Hoc sensu bis apud Euripidem legitur: Orest. 298 sq. σύ μου τὸ δεινὸν καὶ διαφθαρὲν φρενῶν || ἴσχναινε παραμυθοῦ θ' — *horridum et corruptum sensum meum coerce et consolare.*

Iphig. Aul. 1617 sq. πῶς δ' οὐ φῶ || παραμυθεῖσθαι τούσδε μάτην μύθους, || ὥς σου πένθους λυγροῦ παυσαίμαν — *quomodo non dicam huiusmodi sermones me frustra adhortari ut tristem propter te luctum deponam?* Sane requiritur ἐμέ, nam male abesse a verbo obiectum Rauchenstinio assentior. Tamen non

recte ille mutat τούσδε in με; nam τούσδε eiicere non possumus, cum hoc pronomine indicetur haec verba (τούσδε μύθους) nuntium laetum esse quo vs. 1608 Iphigenia dicitur in deos recepta esse. Sed in his verbis haerere nolim. Neque enim versus corruptissimos, ut mihi videntur, corrigere neque ex versibus quos Euripidi abiudicandos cum plerisque editoribus censeo, nimium efficere volo.

παρηγορεῖν.

Huc quoque trahendum puto verbum παρηγορεῖν, quamquam decompositum. Proprie intransitivum est. Semper aut absolute, aut transitive cum accusativo construitur. In hoc verbo ut in παραμυθεῖσθαι praepositio ad analogiam verborum παραπείθειν etc. mutationem conditionis alicuius fieri indicare coepit.

Apud nostrum bis occurrit: Hecub. 288 sqq. ἐλθὼν δ' εἰς Ἀχαιικὸν στρατὸν || παρηγόρησον· ὡς ἀποκτείνειν φθόνος || γυναῖκας, ἃς τὸ πρῶτον οὐκ ἐκτείνατε — *vadens ad Argivum exercitum verbis mitiga (eos); interficere enim invidiosum est mulieres quas primum non interfecistis.* Ad quae Hermannus: *Interpunctionem minorem cum media commutavi.* Ὡς *est* nam *nec quae sequuntur ab Ulixe dici vult Hecuba, sed ipsa dicit, Ulixem ut permoveat.* Recte. Etenim, si ab Ulixe haec verba dici vellet Hecuba, melius dixisset: ἃς τὸ πρῶτον οὐκ ἔκτειναν. Ulixes Graecos mitigare potuit quod ipsi primum non interfecerint mulieres, non quod ille iis pepercerit.

Alter locus ubi legimus hoc verbum est Phoeniss. 1448 sqq. πόλιν θυμουμένην || παρηγορεῖτον, ὡς τοσόνδε γοῦν τύχω || χθονὸς πατρῴας — *urbem iratam placate ut tantillum saltem consequar terrae patriae.* Scholiastes: παραμυθεῖσθε, παραπείθετε.

Notatu dignum videtur quod ad Aeschyl. Prometh. 1009 de hoc verbo adnotavit scholiastes: παρ' ἃ φρονῶ πείθειν. Eandem vim ac nos praepositioni ille attribuisse videtur.

CAPUT VIII.

Praepositio παρά indicat actionem verbo expressam male fieri.

Primo capite vidimus παρά verbis motum in loco aut quietem designantibus adiunctum indicare posse actionem verbo expressam iuxta fieri. Ex hac notione paullatim alia manavit, nempe iuxta suum locum, παρὰ τὸ καλόν i. e. κακῶς. Sequantur verba in quibus παρά hanc vim habet.

παρακόπτειν.

Significat verbum παρακόπτειν ut παραπαίειν non suo loco, perperam pulsare.

1. Absolute usurpatur de eo qui incassum ferit; unde in universum valet delirare, e. g. Plut. Moral. p. 1123 F οὐ παρακόπτοντες, ἀλλὰ νήφοντες καὶ ὑγιαίνοντες.

2. Sin autem transitive adhibetur verbum παρακόπτειν ut indicemus aliquem de industria perperam pulsare, variae oriuntur notiones. Tunc significat:

a. Ita pulsare aliquem ut delirat. Hippolyt. 237 sq. ὅστις σε θεῶν ἀνασειράζει || καὶ παρακόπτει φρένας, ὦ παῖ — *quisnam deorum te freno recurvet mentemque pervertit, o filia.* Simplex κόπτειν iam hac notione praeditum occurrit apud Aeschylum, Agam. 472, φρενῶν κεκομμένος — *mente captus.*

b. fraudare, decipere aliquem; apud Aristophanem saepe media forma hoc sensu reperitur: Equites 807, 859.

c. deinde de nummis adulterinis adhibetur; plane diversus hic usus est; non iam aliquid, quod bonum erat, depravari dicitur, sed ipsa actione τοῦ παρακόπτειν aliquid nascitur, malum scilicet. Semper fere metaphorice haec notio occurrit, Lucian. advers. indoct. c. 2. κίβδηλα καὶ νόθα καὶ παρακεκομμένα.

παραπλήττειν.

Activa forma verbi παραπλήττειν apud recentiores tantum occurrere videtur: Philostr. Imagg. p. 779. 14, de eo qui perperam citharam pulsat: τῇ δεξίᾳ δὲ παραπλήττων τὰς νευρὰς ψάλλει. Inde passivum usurpatur de hominibus male perculsis i. e. malesanis, Aristoph. Lysistr. 831. Apud nostrum semel legitur de risu Herc. Fur. 935 ἔλεξε δ' ἅμα γέλωτι παραπεπληγμένῳ — *dixit autem cum risu deliro.* Notatu dignum est παραπλήττειν non occurrere praeditum sensu delirandi quo saepe adhibentur verba παρακόπτειν et παραπαίειν.

παρανοεῖν.

Tertium verbum in quo apud Euripidem hanc significationem praepositio παρά verbo tribuit, παρανοεῖν est. Localem vim in hac compositione amisit praepositio, quamquam proprie παρανοεῖν significare videtur: iuxta i. e. iuxta suum locum cogitare.

Apud nostrum uno loco tantum occurrit notione perperam intelligendi: Iphig. Aul. 837 sq. ἀφασία μ' ἔχει, γύναι || εἰ μή τι παρανοοῦσα καινουργεῖς λόγον — *stupor me habet, mulier, nisi forte quid errans fingis novum sermonem.*

Aristophanes, Nubb. 1480, usus est verbo notione delirandi,

quo sensu apud Platonem quoque, Theaet. p. 195 A occurrit; sed frequentius est substantivum *παράνοια* — *dementia.*

Hisce extremis exemplis apparet audacius esse de hoc usu iudicium quod Rau in disputatione sua de praepositione *παρά* fecit (Studien zur Griech. und Latein. Grammatik. G. Curtius III. p. 96): *quamvis rarissimum esse apud Atticos scriptores hunc usum negari non possit, tamen aliquot exempla optimorum auctorum exstant.* Sequuntur aliquot loci Platonis, Demosthenis, Aristophanis; Euripides tamen iniuria neglegitur.

CONSPECTUS.

Priusquam libelli mei finem faciam, non abs re erit pauca adiici de iis verbis, quibus Euripides a solito usu discrepat.

Verbum παρεῖναι ter cum solo accusativo loci coniungitur quod apud alios scriptores non invenimus. (p. 5—7.)

Verbum παρῆσθαι ex Homero traditum semel apud nostrum, apud alios, quantum scimus, nusquam occurrit, recentioribus exceptis. (p. 12.)

Verba παραυλίζειν et παρασπίζειν Euripidem formasse verisimile est. (p. 14—16.)

Locutionem παρέχειν δίκην (δίκας), quam alibi non invenimus, quater legimus eodem sensu quo apud Atticos scriptores διδόναι δίκην. (p. 19, 20.)

Pro nimis vulgata structura πράγματα παρέχειν poeta noster habet πόνους παρέχειν. (p. 23.)

Compositum παρατιθέναι ex Homero notissimum semel tantum apud nostrum, saepe apud alios occurrit. (p. 25, 26.)

Verbum παρευτρεπίζειν ante Euripidem nusquam adhibitum esse videtur. (p. 28, 29.)

Verbum παραφέρειν praeditum notione iuxta ferendi semel apud nostrum, nusquam quatenus novimus apud ceteros scriptores legitur. (p. 30, 31.)

Compositum παραπάλλεσθαι noster solus videtur adhibuisse. (p. 31.)

Bicompositum παρακαθιέναι ante Euripidem apud nullum auctorem invenimus. (p. 31, 32.)

Verbum παρεμπολᾶν Euripidem primum usurpasse apparet. (p. 32, 33.)

Verbum παραβαίνειν uno loco tragicus noster adhibet translata notione latendi, quae notio apud alios quoque raro occurrit. (p. 35, 36.)

Verbum παράγειν semel significat *praeteragere*, quem sensum apud ceteros scriptores non cognovimus. (p. 38.)

Iterationem praepositionis παρά apud Euripidem in verbo παραλαμβάνειν tantum habemus. Saepissime autem poeta noster alias praepositiones iteravit; qua in re pedestri orationi appropinquavit. (p. 41, 42.)

Euripides quater activa forma verbi παραιρεῖν, semel media usus est. Alii scriptores frequentius mediam, rarius activam formam adhibent. (p. 44.)

Verbum παράγειν mere locali notione abducendi semel apud nostrum, fere nusquam apud alios occurrit. (p. 46.)

Verbo παραιτεῖσθαι genitivum personae quae exoratur Euripides adiunxit; qua in constructione a solito usu declinavit, cum fere semper unum duosve accusativos hoc compositum sibi adsciscat. (p. 46, 47.)

Bicompositum παρεμβλέπειν apud nostrum tragicam solum legimus. (p. 49, 50.)

Verbum παροίχεσθαι praeditum notione aberrandi Euripides semel, ceteri nunquam usurpasse videntur. (p. 52.)

Verba παρεκτρέπειν et παροχετεύειν ante Euripidem non adhibentur. (p. 54, 55.)

παρελθεῖν δόμους (δῶμα) — *ingredi domum*, quater legitur. Ceteri scriptores παριέναι hoc sensu praeditum cum accusativo loci non solent coniungere. (p. 56, 57.)

In verbo παρεξιέναι praepositio παρά motum ad ali-